
Fondazione Diabete To
Museo del Diabete
Libri Antichi
10

32 **SALVIANI (Sallustio).** De urinarum differentiis causis et iudiciis - Roma, Tornerij & Donangeli, **1587** - In 8° perg. d'epoca, pp. (10)-238-(18). Bollo di bb. pr.

L. 450.000

(**Edizione originale**; Wellcome, I, 5737; Durling, 4052. Rarissimo libro sulle urine di Sallustio Salviani medico romano morto nel 1588, che insegnò medicina teorica nell'università della sua città avendo vinto una specie di concorso fra due aspiranti alla stessa cattedra, istituto dal Pontefice Pio V; Pazzini, Storia d. fac. medica di Roma, 143, 528; De Renzi, III, 447).



B506

MUSEO DEL DIAP
della Associazio
KAREN BRUNI BOC
Via Beaumont 72 - Tel. 011/4477127
10138 TORINO

DE VRINARVM DIFFERENTIIS CAVSIS ET IVDICIIS LIBRI DVO

SALVSTIO SALVIANO
ROMANO MEDICO

Et in Romano Gymnaſio Medicinam
ordinariam Theoricam,
publice profitente,
Auctore.

ROMAE, Ex Typographia Iacobi Tornerij,
& Bernardini Donangeli. 1587.

Ex Auctoritate Superiorum.

ILLVSTRISSIMO,
AC REVERENDISSIMO
HIPPOLYTO RVBEO
S.R.E. Cardinali Ampliſſimo Patrono Opt.

SALVSTIVS SALVIANVS S. P. D.

HOs Duos de Vrinis libros, Poſt omnia à me promiſſa Medicinæ opera ædere deliberaueram: tam iuſtis motus rationibus, vt illæ etiam diu me ambiguum detinuerint, an hęc eadē opuſcula terris perpetuo abdita ſeruare expediret. In primis autē mouebar, ob multitudinem illorum hominum, quibus illa reprehendendi magna prębetur occaſio, Vbi plurimas inuenirent opiniones contra communes, & iam diu receptas concluſiones, quas procul dubio, iuxta eorum morem, ſuperbię ac

temeritati aſcribent: ſed tandem apud me præualuerunt amicorum, & diſcipulorum preces, qui cum hanc diſſicillimam materiam nouis, & ante hunc diem inauditis modis à me pertractatam audiuerint, illa ſe plurimum delectari oſtenderunt, vtque typis traderem, etiam atque etiam rogauerunt: Idque libenter feci, putans euenire facile poſſe, vt detractorum ora claudãtur: qui cum ſciuiſſent, me ſuperiori anno, hæc, & alia promiſiſſe opera, illicò affirmare cœperant, promiſſa non fore præſtiturum, perinde ac de otioſo homine dixiſſent: animaduertentes quanto temporis ſpatio, quantoq; ſtudio, & labore, opus ſit ei, qui tale ſuſcepit onus: Quod ſi vt decet, conſiderabũt, ac ſubtiliter rationes & cauſas, quæ me ad recedendum à communibus ſententijs coegerũt cognoſcẽt, gratiſſimum mihi erit, ſi reales ac rationabiles ſolutiones, & reſponſiones, afferent, neque tunc ego meas damnare propoſitiones erubeſcam: Vel me à quocunque ediſcere pudebit, non im memor quod mari magno ac vaſto,

me

me ipſum commiſi, & ingenti vagor laberintho , in quo cum nihil certi appareat, licet multas mihi viſus ſim ſoluere difficultates, reliqui tamen pleraſq; indeciſas , quas ſaltem calcarium loco efficient, vt alij ſubtilius inueſtigent & conſiderent , quam ij , qui cõmunibus ſententijs acquieuerunt, inueſtigarũt , & conſiderarũt : Quod opus aggrediẽtur , excitati à lectione propoſitionũ , quas ego ab alijs auctoribus intactas adduxi,quæ ſi forte puriſſima non eniteſcent veritate , munitæ ſaltẽ dignis conſideratione rationibus inuenientur,ſicut illas munire neceſſe erat,cum apertiſſimum eſſet communes ſententias , magna ex parte praxi mirum in modum aduerſari , illiſque ſatis experientiã obſtare . Vnde neceſſe eſt concludere , in hac profundiſſima de vrinis materia, nihil certi reperiri, neminemque de vrinis cõfidere debere,quę pluries vſque ad ægroti obitum pulchre, ac optime perſpiciuntur , e contra vero tempore reſtitutę ſalutis, mortiferæ cernuntur : Hæc autem vrinarum ambiguitas, & incertitudo , in fe-

bribus

bribus euidentius dignoſcitur, ac per vrinas nullam mihi videtur de eſſentia, vel de temporibus earumdem febrium, prouenire poſſe notitiam, vnde aliquid iure prędici valeat, licet fortaſſe, maiori dignę ſint conſideratione vrinæ, in morbis in illis partibus poſitis per quas viam ducit vrina. Quare ſi in hoc meo tractatu, vrinas ego etiam circa febres, & pro cognitione temporum febrium obſeruo, vnuſquiſque pro certo habeat, quod non propterea quicquam certi ab vrinis colligi poſſe arbitror, ſed id facio, ne ſolus remaneam ab Hyppocrate, & Galeno rebellis. Pro viribus tamen conatus fui, magis veriſimiles reddere, & aſſignare rationes, & cauſas, quam meo iuditio alij fecerint, vbi vero quęſtiones magis ac magis arduas & difficiles inueni, ſat mihi eſſe cenſui, eas difficultates proponere, alijs illarum ſolutiones relinquēdo, Idque non ab re eſſe duxi, ratus etenim ſum, ita ſilentiū fore imponendum alicui, qui terminorum inſcius, meos labores damnare auſurus eſſet: quod vtique non audebit,

bit, dum ſe ad ſolutiones inueniendas ineptum reperiret, ſed potius eruditis cogitandum relinquet, quorum erit cortice prętermiſſo, medullitus perquirere, & rerum ſubſtantiam nõdum minutim perſpectam, altius perſcrutari. Breuitati obſcuritate tamen expulſa, in hoc difficillimo tractatu, pro viribus ſtudui, & lucido ac nunquam ſatis laudato ordine, facilitatem potius quã in dicendo elegantiam ſum ſectatus, ſufficit enim mihi lectoribus me nõ fore moleſtum: dum nihil intactum relinquendo, vocibus ac terminis medicorum vtor, culpamque & notam ab indoctis quorum detrahere, & lacerare proprium eſt, euitare, qui quæſito colore amoris & fidelitatis erga communes ſententias, & antiquitatem, canino dente mordere, ac vatiniano odio proſequi non deſiſtent, Quod cum indignum ſit nobilibus, & egregijs viris, licet hi nobiles & egregij perpauci exiſtant, ab his paucis cupio & exopto, hoc meum opuſculum libenter, ac hilari animo accipi. Si autem vnquam hoc mihi ſperare licuit, huic meę

 ſpei,

ſpei, hodie fas eſt magis eſſe locum, cũ ab Illuſtriſſ. Amplitudine tua, ob ſummam quæ tecum orta eſt benignitatẽ, in tuorum familiarium numerum, ſim relatus, ſub cuius quidem clypeo, modo maleuolorum detractationem, timere vanum eſſet, cum omne genus hominũ videat, quanto reddatur honore dignus, qui in præſtantisſimæ nobilisſimæque Rubeorum familiæ additorũ numero ſe aſcribi obtinuit; à qua velut ab equo Troiano, tot præclariſſimi deuenerunt hæroes, ſtrenui, & inſignes Duces, acerrimi patriæ defenſores, Galliæ Ciſalpinæ, ac totius Italiæ ornamentum, atque tutela; tanto magis hoc fæliciſſimo tẽpore Illuſtres redditi, ob ſummum ſuperadditum Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. Amplitud. tuæ ſplendorem, cuius incomparabiles virtutes, à Sixto V. Pontif. Max. bene cognitæ, ad cardinalatus apicem Ampliſſimam perſonam tuam extulerunt, Vbi adeo dignitatis culmini vndique ſatisfacis vt altiora, meliora etiam de te quilibet expectare poſſit, interea te optimum Mæcenatem, omnes docti

prę-

prædicent, in quorum numero licet mihi non contigerit locum dari, ſatis tamen, & abunde datum exiſtimo, Vbi Illuſtriſſ. Amplitudinis tuæ medicum me eſſe conceſſum fuit: cui à Deo opt. max. pro Reipub. Chriſtianę vtilitate, vitam diu incolumen precor. Romæ die 22. Decembris. 1586.

DE-

DE DIFFERENTIIS, CAVSIS, ET IVDICIIS VRINARVM LIBER PRIMVS

SALVSTIO SALVIANO Romano Medico Auctore.

VRinam eſſe excremẽtum tenue primæ concoctionis, abunde ſatis alibi demonstrauimus. Lib. 1. de concoctione cap. 5.

De qua quidem Tria veniunt conſideranda, primo quorum morborũ Vrina ſit ſignum, ſecundo quid in illis ſignificet, & quid poſſumus præſagire ex Vrina, tertio & vltimo, quomodo Vrina talia poſsit præſagire, atque ſignificare.

Quæ quidẽ pertractatio eſt adeo difficilis, vt patiatur grauiſſimas difficultates: nõ erit igitur mirum, ſi aliorum omiſsis opinionibus, cogar multis rationibus, recedere à cõmuni opinione, & propria, atque peculiari ſen.

ri ſententia, reſpondere ad prædicta quæſita: & ſi bono, ac leto animo benigne rem ipſam ſuſcipiatis, ſpero Diuino fauente Numine, pertractationem iſtam valde difficilem, & obſcuram, reddere vobis facilem, & clariſſimam.

In quibus morbis, Vrina conſideranda ſit à medico. Cap. I.

VT ergo deueniam ad primum quæſitum, dico quod omnes Morbi, in quibus Vrina conſideranda eſt à medico, & ſolet eſſe ſignum, reducuntur ad duo prima genera: aut enim primo erit ſignum illius morbi qui naſcitur ex humoribus, à quibus Vrina immediate ſecernitur; vel ſecundo erit ſignum illorum morborum, qui ſunt in illis partibus, per quas vrina tranſit, & expellitur.

Quoad primum genus, poſuimus illā particulam immediate quoniam licet Vrina ſit excrementum tenue primæ concoctionis, nō tamen excernitur in prima concoctione: ſi enim tunc educeretur, oſtenderet morbos, & vitia primæ concoctionis, ſicuti fæces oſtendunt, vt docet Gal. 2. progn. com. 27. & pri-

& primo epid. com. 2. tex. com. 44. cum ſit craſſum excrementum primæ concoctionis, & in ea ſeparantur & excernuntur; ſed Vrina mixta ſimul cum chilo per venas meſſaraicas, & ramos venæ portæ, defertur in ſubſtantiam epatis, & inde ſimul cum ſanguine ad venam cauam, vt alibi demonſtrauimns. Lib. 1. de concoct. cap. 5.

Ex his neceſſario ſequitur, quod dum chilus in venis meſſaraicis concoquitur, & recipit imperfectam formam ſanguinis, etiam & ipſa Vrina quæ mixta eſt cum ſanguine, recipit aliquam alterationem, cum non poſſit conquoqui, eo quia eſt excrementum: & cum eadem Vrina mixta cum illo rudi, & imperfecto ſanguine, per ramos venæ portæ deferatur ad epar, vbi chilus perficitur & recipit perfectiorem formam ſanguinis, neceſſe eſt etiam vt ſaltim per accidens, ipſa Vrina, in ipſa ſecunda coctione, & ſanguiſicatione, quæ fit in epate, à naturali calore, & carne ipſius epatis, aliquam patiatur alterationem. & mutationem, ratione cuius alterationis, & mutationis factum eſt, vt Vrina aliquo modo (impropriè loquendo) dicatur concocta, ſicuti & cætera excremēta poſſunt dici concocta, pro vt ſunt Gal. 2. progn. com. 27. 1. de criſib. cap. 12. 1. epid. cō. 2. tex. cō. 44. Auic. 2. 1. doct. 3. c. 1

euicta,

euicta, & alterata eo modo quo poſſunt à natura: ex 2. de rat. vict. com. 44. & eadem ratione factum eſt, vt Vrina dicatur ſignum ſecundæ concoctionis, & facile poſſè demonſtrare perfectionem, aut vitia, ſecundæ concoctionis, & an chilus per ſecundam concoctionem, optime conuerſus fuerit in ſanguinem, nec ne, & an humores qui in venis continentur, bene vel male ſe habeant, & ex conſequenti Vrina erit ſignum illorum Morborum, qui ortum ducunt ex humoribus peccantibus ad intra venas, licet Vrina non ſit excrementum ſecundæ concoctionis: nam cum in ſecunda concoctione in venis meſaraicis, & in epate, ſimul cum chilo, & ſanguine alteretur, & immutetur, facile poterit demonſtrare optimam, aut malam diſpoſitionem ſanguinis, & hu-

1. de criſib. cap. 7.

morum qui generantur in ſecunda concoctione in epate, eo quia ſi ſanguis, et humores, qui continentur in venis, optimi fuerint, neceſſe eſt vt etiam et ipſa Vrina, quæ ſimul cum humoribus, et ſanguine mixta eſt in venis, optima excernatur: ſicut ſi vrina mala fuerit, et præter naturam, ſignificat humores exiſtentes in venis, receſsiſſe à proprio temperamento, et eſſe præter naturam:

ram:

ram; ſecundo indicat etiam Vrina, et eſt ſignum illorum Morborum, qui occupant illas partes, per quas quidem pertranſit vrina, dum à renibus per venas emulgentes atraitur à vena caua vt excernatur, et quoniam pertranſit per Renes, Vreteres, per veſicam, et per meatus Vrinarios, ideo omniũ harum partium Vrina eſt ſignum, indicat enim affectiones illorum membrorum: eo quia ſi aliqua dictarum partium fuerit exulcerata, cum in vlcere neceſſario generetur ſanies, et pus, quod mixtum cum vrina, cum ea ſimul mingitur, ideo vbi videmus ſaniem cum Vrina, iudicamus atque certe cognoſcimus, adeſſe vlcus in renibus, uel in veſica, aut in vretere, vel in meatibus vrinarijs: ſimiliter ſi vrina retineatur, indicat atque demonſtrat eſſe aliquam obstructionem in vna dictarum partium, per quam pert ranſit vrina, etc.

Patet igitur, Vrinam non eſſe ſignum niſi horum Morborum, et ideo hallucinari, qui in omnibus morbis, vrinam conſiderant, tanquam ſignum omniũ morborum cum præter iſta duo genera morborum, in nullo alio morbo, primo, et per ſe conſideranda, et inſpicienda ſit vrina à medico, vt

4. aph. com, 77. 1. deſiſ. c 7. 3. de criſ. cap. 3. 2. proquo com. 27.

co, vt enim docet Galen. cum ex vènis deducatur vrina et à renibus prolectetur, in his vero percoletur, indeque per canales vrinarios in veſicam transmittatur, atque in ea vt receptaculo aſſeruetur, quicquid in ipſa præter naturam apparuerit, aut venas, aut renes, aut veſicam, male haberé. hæc Galenus: Pro maiori tamen declaratione hoc vnum aduertatis, quod in pleuritide (et id quod dico de pleuritide intelligatis vos de quocuuq; alio morbo) vrina non eſt inſpicienda à medico, tanquam ſignũ pleuritidis, cum nihil poſſit demonſtrare, eo quia materia quæ continetur in parte inflammata, et parit pleuritidẽ, non poteſt educi per vrinã, ſicut euacuatur per ſputum, et ideo ſputũ, & nõ vrina conſideranda eſt in pleuritide, niſi valde per accidens, eo quia ſi in pleuritide vrina mala ſit hoc dicitur malũ ſignum nõ quia ſignificet aliquid mali circa pleuritidẽ ſed dicitur malum ſignum pro vt oſtendit et ſignificat humores exiſtentes in venis ipſius pleuritici eſſe male affectos, et recedere à proprio, et naturali eorum temperamẽto, et tunc erunt duo morbi: ſed ſi vrina ſit bona, erit bonum ſignum, non tamen ratione pleuritidis quia poteſt eſſe vrina bona, et

1. de criſib. cap. 7. 3. de criſ. cap. 3. 3. epidem. com. 3. in 6. egroto.

tamen pleuritis ſit letalis ac mala, ſed illa Vrina optima in pleuritide dicitur bonum ſignum, quoniam ſignificat humores in venis ipſius pleuritici, eſſe bonos, & ſecundum naturam, hoc autem eſt valde bonum, quoniam natura facilius poterit curare ipſam pleuritidem, cum non fuerit occupata circa aliud vitium: & ſic de cæteris.

Vrina in prædictis morbis, eſt ſignum demonſttatiuum. Cap. II,

CVm ergo Vrina in prædictis morbis, veluti ſignum conſideranda, ac inſpicienda ſit à medico, & ſigna ſunt in triplici differentia, vt Demonſtratiua, Memoratiua & Prognoſtica, quod nam ſignum erit Vrina in dictis morbis? Gal. tegn.

Reſpondeo eſſe ſignum demonſtratiuum: demõſtrat enim & ſignificat præſentem affectionem, ſanitatem aut morbum, & c.

Sed pro maiori declaratione, tria hic veniunt conſideranda: primo ſi Vrina eſt ſignum demonſtratiuum & talia ſigna ſint in multiplici differẽtia, quod nam ſignũ erit vrina: ſecundo quid ſolent ſignificare ſigna demonſtratiua: tertio eſto quod ſit ſignum

demonſtratiuum, an ſignificet, & demonſtret omnia illa quinque, in illis morbis, in quibus vrina inſpicienda eſt à medico.

Quoad primum quæſitum, Reſpondeo, quod omnia ſigna Demonſtratiua, reducuntur ad tria prima genera: aut enim ſunt Actio læſa, aut Qualitas mutata, vel Exiens mutatum: Actio dicitur læſa tripliciter, aut primo quia ſit deprauata, vt hallucinatio viſus: vel debilis vt debilis viſus: aut tertio quia ſit abolita, ſeu omnino corrupta vt cæcitas.

Qualitas vero dicitur mutata, vt color liuidus, vel niger in vrina, aut in parte exulcerata & dolēte: ſimiliter ſi extrema frigeant, vt in febre pæſtilenti dicitur mutata qualitas, & eſt ſignum demonſtratiuum in illa febre.

Sed Exiens mutatum, multis modis dicitur, primo quoniam id quod excernitur, à toto genere ſit præter naturam, vt cum educitur ſanies, & pus, veluti carunculæ, pinguedo, ramenta, ſimiliter ſi ſanguis excernatur per nares, Vrinam, per os &c. omnia iſta dicuntur excrementa mutata, eo quia excernitur id quod non debet excerni, vt ſanguis & id quod à toto genere eſt

re eſt præter naturam, ut ſanies, vermes, pinguedo etc. vel ſecundo excrementa dicuntur mutata quoniam licet excernantur excrementa quæ ſecundum naturam debent excerni, iſta tamen adhuc dicuntur mutata, primo quando non excernuntur, & retinentur plus iuſto, aut quia excernuntur pluſquam par ſit & in maiori copia quam conueniat, ſicuti eſt ſputi, Vrinæ, fæcum, ſudoris, & menſium, ſupreſſa & retenta, ſeu ſuperflua euacuatio, omnia enim iſta ſunt ſigna demonſtratiua.

Cum ergo ſigna Demōſtratiua, ſint in triplici differentia, ad quod nam iſtorum reducitur Vrina?

Reſpōdeo quod Exiens eſt mutatū in diabete, dyſuria, ſtranguria, & iſchuria, in quibus quidem affectibus, Vrina excernitur plus debito, aut retinetur magis quam conueniat: eſt etiam Qualitas mutata dum mingitur liuida, aut nigra: Sed Vrina licet non ſit actio læſa cum ſit excremētum, reduci tamen poteſt ad actionem læſam, prout dum mingitur cruda, indicat actionem eſſe læſam, quoniam ſignificat debilem eſſe naturalem calorem, & diminutam concoctionem.

Quoad ſecundum quoniam ſigna demõſtratiua quinq; ſolent demonſtrare, pro ut quinque neceſſario cõſideranda ſunt à Medico, pro curatione cuiuſcunque morbi.

Primo debet conoſcere naturam, & eſſentiam morbi, an ſit morbus in complexione, aut in compoſitione, vel in ſoluta vnitate, & ſi fuerit morbus in complexione, rurſus cognoſcere, an ſit intemperies ſimplex, vel compoſita, & an cum materia, vel ſine materia, & denique an intemperies calida, vel frigida, humida, aut ſicca: quod ſi fuerit morbus in compoſitione partium inſtrumentalium, cum iſti morbi ſint in quadruplici differentia nempe in magnitudine, figura, numero, & ſitu debet medicus optime cognoſcere, qualis nam fuerit iſte morbus compoſitus: niſi enim medicus, cognoſcat naturam ipſius morbi, impoſſibile eſt vt poſſit eum curare.

Sed non ſufficit cognoſcere ſolam eſſentiam ipſius morbi, nempe eſſe malam intemperiem calidam, ſed ſecundo loco debemus cognoſcere, partem affectam: quia à parte affecta, varie et diuerſe ſumuntur indicationes curatiue, ſi enim inflammatio fuerit in partibus glanduloſis, et in emũtoriys,

tunc

tunc in principio ratione partis affectæ, non cōueniunt repercuſſiua, ſicuti conueniunt ſi in quacunque alia pærte fuerit inflammatio, pars autem affecta non cognoſcitur, niſi ex ſignis demonſtratiuis.

Sed eſto quod medicus cognoſcat morbū eſſe intemperiem calidam epatis, adhuc non poterit illam optime curare; niſi tertio loco cognoſcat morbi magnitudinem, cum remedia debeant eſſe proportionata morbo, eo quia extremis morbis, extrema remedia competunt. 1. aph 6.

Quarto loco neceſſe eſt cognoſcere Morē ipſius morbi: ideſt an morbus ſit ſalubris, vel lætalis, boni an mali moris, vt pæſtilēs, et venenoſus, nec ne: hoc enim maxime confert ad curationem eo quia ſi morbus fuerit peſtilens, et mali moris, conueniūt antidota, et ea quæ operantur à tota ſubſtantia, et occulta proprietate, occurrere poſſint humoribus peſtilentibus, et veneno: quod ſi morbus fuerit ſalubris, à leuioribus eſt inchoandum.

Quinto et vltimo, debet medicus cognoſcere, Tempora morborum, tam vniuerſalia, quam particularia an .ſ. morbus ſit in princicio, in augmento, ſtatu, vel in declinatione

natione: cum alia remedia conueniant in principio, alia indeclinatione, &c. omnia autem hæc quinque, cognoſcuntur ex ſignis demonſtratiuis: non tamen eſt neceſſarium vt omne ſignum demonſtratiuum, hæc omnia ſignificet, & demonſtret, ſed quædam ſunt ſigna demonſtratiua, quæ omnia hæc quinque ſignificant, alia vnũ, alia duo &c.

Vrina quid ſignificet in morbis ipſis. Cap. III.

QVoad ſecundum quæſitum conſiderandum eſt, quid Vrina ſignificet in morbis.

Cui quidem Reſpondeo, Vrinam poſſe demonſtrare illa omnia Quinque, primo eſſentiã, & naturam ipſius morbi, eo quia ſi Vrina fuerit retenta, cognoſcimus aliquam obſtructionem eſſe in vaſis vrinarijs, & in partibus per quas pertranſit vrina, quæ prohibet eius euacuationem, & ſic cognoſcimus morbi naturam, eſſe ſcilicet morbum in Cõpoſitione, nempe in numero: ſimiliter ſi Vrina valde rubea et colorata excernatur, iudicamus adeſſe aliquam intemperiem calidam, ſicuti ſi Vrina fuerit ſanioſa, & pu-

rulenta

rulenta, cognoſcimus morbum eſſe ſolutam vnitatem.

Secundo ex vrina cognoſcitur pars affecta, quoniam ſi vrina excernatur purulenta, & ſanioſa, non ſolum conoſco morbum eſſe ſolutam vnitatem, nempe vlcus, ſed ſecundo cognoſco ex eadem vrina, partem affectam, ideſt vlcus eſſe in renibus, vel in veſica, ſic docet Hip. ſi quis ſanguinem, aut pus meiat, renum, aut veſicæ exulceratio ſignificatur: et infra ſic dicit: Quibus cũ Vrina craſſa, exigue caruncula, aut veluti pili exeunt, his à renibus excernuntur: & paulo poſt ſic habet: Quibus cum Vrina craſſa furfuroſa quædam exeunt, his veſica ſcabie laborat, deinde ſubiungit. Qui inopinanter ſanguinem meiunt ijs, à renibus venulam ruptam eſſe ſignificatur, & ſic vſque ad finem libri.

4. aph. 75.
aph. 76.
aph. 77.
aph. 78.

Tèrtio oſtendit Vrina, Tempora vniuerſalia morborum, quoniam ex cruditate, & concoctione Vrinæ, cognoſcimus morbum eſſe in principio, augmento, ſtatu, vel in declinatione, vt infra declarabimus.

Quarto indicat morbi Morem, quia vbi multum recedat à naturali ſtatu, ſigni-

2. progn. 33. ſicat morbum eſſe lætalem et mali moris ſic docet Hipo. perniciosa eſt vrina, quæ mali odoris, et diluta, et tenuis, et nigra, et craſ-
2. progn, 34. ſa eſt: et infra ſic dicit: in viris quidem, et mulieribus nigra, in pueris vero tenuis, et diluta deterrima eſt, ſed ſi vrina nõ multum diſtet à naturali ſtatu, indicat morbũ eſſe ſalubrem, et boni moris.

Dubitatur tamen, an Vrina poſſit demõ
2.apho.7. ſtrare morbi magnitudinem, quoniam magnitudo morbi cognoſcitur ex magnitudine ſymptomatum, quæ à toto genere ſint præter naturam, et licet vrina ſignificet quandoq; magnam cruditatem, ex hoc tamen non dicimus, morbum eſſe magnum, ſed præſagimus futurum eſſe longum, aut læthalem, ſed melius eſt dicere, Vrinam qnandoque poſſe ſignificare morbi magnitudinem, vt ſi vrina mingatur ſanioſa, aut purulenta, ſignificat adeſſe vlcus, ſed ſi ſanies et pus educatur in maxima quantitate, iudicamus vlcus eſſe magnum, ſicuti ſi in pauca quantitate excernitur, dicimus vlcus paruum, etc. eodem modo ſi vrina ſit omnino ſupreſſa, dicimus adeſſe magnam obſtructionem, cognoſcimus igitur ex vrina, eſſentiam, magnitudinem, morem, et tempora vniuerſa-

lia

lia morborum, ſimul cum parte affecta.

Principaliter tamen, primo et per ſe, duo nobis ſignificat Vrina, Primo ſalutem aut mortem, ſecundo longitudinem aut breuitatem morbi: et ſi quærat quiſpiam veſtrum quomodo hæc duo ſignificet vrina, Reſpondeo per ſigna concoctionis et cruditatis quæ ex vrina cognoſcuntur.

De differentijs, cauſis, & iudicijs vrinarum, ſecundum eius ſubſtantiam. Cap. IIII.

SI ergo ſigna concoctionis, et cruditatis, cognoſcuntur ex vrina, et quomodo dicetis vos, Vrina nobis octendit ſigna concoctionis, et cruditatis? Reſpondeo quod quinque modis hoc ſignificat Vrina, pro ut quinque cõſideranda ſunt à medico, in vrina: primo eſt ſubſtantia ipſius vrinæ, ſecundo color, tertio odor, quarto quantitas vrinæ, quinto hypoſtaſis: hæc enim omnia oſtendũt longitudinẽ, aut breuitatem morbi, ſalutem vel mortem: licet quam plurimi (et perperã) addunt etiam, conſiderandum eſſe liquorem in vrina: nos autem non diſtinguimus liquorem à ſubſtantia: De quibus omnibus tria erunt conſideranda, primo differentias, Actuarius, Montanus, Roganus.

rentias, ſecundo, cauſas, tertio prognoſticum, ſeu iudicium.

Ratione ſubſtantiæ, Vrina diuiditur in tres differentias, ſecundum quod vrina in ſubſtantia tripliciter poteſt variari, aut enim eſt Tenuis, aut Craſſa, vel Mediocris medio modo ſe habens, inter tenuem, & craſſam: Tenuis dicitur vrina, quæ habet ſubſtantiā ſimilē ſubſtantiæ, ipſius aquæ, ſicuti illa dicitur Craſsa quæ eſt corpulēta, & ſimilis ſubſtantiæ vini craſsioris: mediocris vero, quæ medio modo ſe habet, ſimilis ſubſtantiæ vini albi mediocris.

Gal. 1. de criſib. cap 12.

Auic. 2. 1. doct. 3. cap. 3.

Sed pro maiori declaratione, tria hic ſunt conſiderāda: primo cur Vrina ſit Tenuis, ſecūdo quare ſit Craſsa, tertio et ultimo, quænā ſit cauſa vt quādoq; excernatur Mediocris.

Quoad primum, dico Vrinam, duplici de cauſa poſſe reddi Tenuem.

Prima cauſa eſt debilis, & diminuta Concoctio: ratio vero cur à diminuta concoctione, vrina ſit tenuis, eſt iſta, quoniam vrina de ſui natura cum ſit aquea, tenuiſſima eſt, & ſubtilis, quod ſi aliquam habeat craſſitiem, hoc erit per concoctionem: vbi igitur vrina non fuerit concocta, ſemper mingitur tenuis, & ſubtilis: pro quo nota, licet

enim vrina cum ſit excrementum non poſſit concoqui, nec per concoctionem reddi apta vt poſſit nutrire, cum tamen mixta ſit cum chilo, & ſimul cum ſanguine deferatur per venas, & ſubſtantiam epatis, hinc etiam factum eſt, vt dum concoquitur chilus, & per concoctionem conuertitur in ſanguinem, etiam ipſa vrina, licet non concoquatur, in illa concoctione à calore epatis alteratur, & immutatur, ratione cuius alterationis, & mutationis, dicitur improprie concoqui: & ſicuti quando ſecunda concoctio quæ fit in epate optima fuerit, chilus conuertitur in optimum ſanguinem, ita etiam, & vrina mixta cum chilo, cum de ſui natura ſit aquea ſubtiliſſima, et valde tenuis, in illa alteratione dum concoquitur ſimul cum ſanguine, et alteratur, redditur magis craſſa, eo quia omnis cõcoctio fit in craſſando, ideo et vrina licet de ſui natura cũ ſit aqueæ ſubſtãtiæ tenuiſſima ſit, dũ alteratur, et quaſi improprie concoquitur, incraſeſcit, et redditur magis craſſa, et ſicuti aqua vbi ab igne fuerit excalefacta, et alterata, redditur aliquantulum craſſa, ita et vrina alterata a naturali calore, redditur aliquantulum craſſa, quod ſi ſecunda con-

coctio

coctio debilis et diminuta fuerit, et chilus ab iſta diminuta concoctione, non conuertatur in optimum ſanguinem, neceſſe eſt etiam vt ipſa vrina, remaneat in ſui natura aquea, tenuis, et ſubtilis, et ideo cum in illa diminuta, et debili concoctione, parum fuerit alterata, et immutata, ideo mingitur tenuis; et ſecundum quod magis, aut minus alteratur, et immutatur à naturali calore in ſecunda concoctione, quæ fit in epate, ita etiam magis, aut minus mingitur tenuis, et ſubtilis.

Hipo. 2. progn. 31 33. Gal. 1. de criſib. cap 21.

Si ergo dicetis vos, Tenuis vrina ex Hipo. indicat humorum cruditatem, debilem, et diminutam concoctionem, et quæ nam eſt cauſa, vt quandoqne concoctio ſit debilis, et diminuta? Reſpondeo hoc fieri à naturali calore, cum enim concoctio fiat à naturali calore, ita quoque, ſi calor optimus fuerit, et validus, optima etiã erit concoctio, ſed ſi debilis fuerit, et diminutus naturalis calor, concoctio quoque erit diminuta, et debilis: & quæ nam eſt cauſa, vt calor ſit debilis, et adeo dimiuutus, vt pariat imperfectam et debilem concoctionem? Reſpondeo naturalem calorem non ſolum reddi debilem, et remitti à frigido, ſed etiam à calore non naturali,

turali, quia ſi actio fit inter contraria ſicuti calori naturali contrarium eſt frigidum, ita quoque ei dicitur contrarium calor præter naturam, et inter ea tanquam inter duo contraria, ſequitur actio, et quando calor præter naturam vincit, et ſuperat calorem naturalē, vt contingit in febribus, præſertim in principio illarū, tūc naturalis calor remiſſus et factus debilis à calore febrili, diminute concoquit, quare et etiam ipſa vrina diminute alterata, ſeu imperfecte concocta, mingitur tenuis, et ſubtilis, nō enim in principio ipſarum febrium, naturalis calor remitti poteſt à frigido, cum tunc temporis omnia ſentiantur calida, et valde calida, et eadem ratione in augmēto vniuerſali quando naturalis calor augetur, et incipit ſuperare calorem febrilem, tunc etiam in augmento, humores exiſtentes in venis, magis concoquuntur, quare et ipſa vrina, melius alterata, non educitur ita tenuis vt ego credo.

Si ergo diminuta cōcoctio fit à debili calore, et naturalis calor remittitur, aut à frigido, aut à calore non naturali, et quomodo cognoſcam ego, an diminuta concoctio, ſit à calido, vel frigido? Reſpondeo hoc facile cognoſci, ſi enim fiat in Socrate febricitante,

dicen-

dicendum eſt fieri à calore febrili, ſed ſi debilis fuerit concoctio ſine febre, dicendũ eſt ortum ducere à frigido, et crudis, et frigidis ſuccis.

Quid igitur dicetis vos, ſignificat iſta vrina Tenuis, et quid poteſt medicus, ex ea præſagire, vt deueniamus ad tertium quæſitum.

Reſpondeo, quod Tenuis vrina, oſtendit primo Cruditatem humorum, ſanguinem inquam, et humores exiſtentes in venis, eſſe diminute, et imperfecte concoctos: et cũ humores ſint crudi à diminuta cõcoctione, ideo ſecundo etiam oſtendit diminutã, et imperfectam concoctionem, et quoniam diminuta concoctio fit à debili calore, ita tertio et vltimo, Tenuis vrina, ſignificat naturalem calorem eſſe debilem, et remiſſum: Ex ijs omnibus facile poſſumus præſagire, ſalutem, aut mortem, vel longitudinem, et breuitatem ipſius morbi, ſi enim cum vrina tenui, et cruda, virtus ægrotantis valida ſit, et fortis, vt poſſit humores peccantes concoquere, et perdurare vſque ad ſtatum morbi, tunc iſta tenuis vrina, erit ſalubris, et non læthalis, ſignificat futuram ſalutem: ſed ſi virtus fuerit debilis, quia

peri-

periculum eſt, ne poſsit morbum concoquere, et ne æger poſsit ſufficere, vſque quo morbus fuerit concoctus, ideo illa Tenuis, et cruda vrina erit læthalis: dicatis igitur quod ſemper cum vrina Tenui, et cruda, conſiderandum eſt quantum ſit robur ipſius virtutis, et quantam poſtulet morbus concoctionem, itemque an æger ad ſummum vigorem morbi, ſufficiet, quare ſi cum vrina tenui, et cruda, adſint etiam ſigna lethalia mortē indicat: ſed ſi cum tali vrina tenui appareant ſigna bona, et ſalubria, ſignificat ſalutem: colligatis igitur quod Tenuis vrina per ſe ſumpta, non poterit ſignificare ſalutem, aut mortem, longitudinem, vel breuitatem morbi, niſi ſimul cum illa vrina, vires conſiderentur. 2. progn. 32. 35.

Et qua ratione factum eſt, dicetis vos, vt Tenuis, et cruda Vrina, poſsit nobis ſignificare morbi longitudinem aut breuitatem, et an morbus futurus ſit longus vel breuis?

Reſpondeo quod duplici ratione, primo, et per ſe, et principaliter, hoc nobis demonſtrat ipſa Vrina: Primo, ratione humoris peccantis hoc facile: et euidentiſsime cognoſcere poſſumus ex vrina,

ſecundo

ſecundo ratione virtutis: humor peccat in quanto, aut in qualitate, tunc ſi humores peccantes fuerint in maxima quãtitate crudi, vrinaque eſt cruda ab iſta multitudine, neceſſario oſtendit morbum futurum eſſe longum, ſicuti ſi humores crudi pauci ſint, morbus cito terminabitur, & ratio eſt quoniam ſicuti multa copia crudorum humorum, non poteſt niſi longo tempore concoqui à natura, & naturali calore, & ideo morbus erit longus, ita quoque humores crudi ſi fuerint in pauca quantitate, facile, & pauco tempore concoquuntur, & ideo pariunt morbũ breuem: ſed nõ ſola quantitas humoris peccantis, ſed etiam qualitas, reddit morbum longum, aut breuem, eo quia ſi crudi humores ſint viſcidi, craſſi, & lenti, difficilius concoquuntur, & longiori tempore, ideo pariũt morbum longum, & diuturnum: Sed ſi humores crudi ſint tenues, ſubtiles, & calidi, vt bilioſi, minori tempore, & facilius concoquuntur, ideo pariunt morbum breuem: & ideo vrina quæ cruda eſt ob cruditatem humorum, ſecundum quod pendet ab vno, vel altero humore crudo, eo modo quo dictum eſt, ita quoque ſignificat morbi longitudinem, aut breuitatẽ, ſed non ſufficit

ficit

ficit conſiderare ſolam quantitatem, aut qualitatem humoris peccantis, ſed etiam ſecundo loco, conſideranda eſt virtus, ſi enim cum vrina Tenui, & cruda, virtus valida ſit, morbus erit ſalubris, & breuis, quia breuiter poterit cõcoquere crudos, & humores peccãtes, ſed ſi virtus ſit lãguida, tũc morbus aut erit læthalis, aut longus, quia non poterit niſi longo tempore concoquere crudos, & peccantes humores, Vrina aquoſa & tenuiſſima in pueris quare ſit læthalis, reddit rationem huius rei Galènus in com. quoniam cũ in extremo diſtet à naturali vrina puerorum, ita quoque in extremo ledit & eſt Læthalis: antecedens probat Gal. quoniam Vrinæ puerorum ſecundum propriam naturam, ſunt Craſſæ & plenæ ſedimento: ſecũdo ſunt in pueris exitiales, quoniam pueri, omnia celerrime concoquunt, ob robur alteratricis facultatis, ſed concoctio non ſolum vrinas, ſed etiam alui excrementa ijs qui cruditate laborant incraſſat, & etiam ſputa, & pituitã, quæ catharrum & grauedinẽ cõmittit & ſordes in imflãmationibus oculorũ, et pus in vlceribus, itaq; ſi diu in pueris aquoſa vrina permanet, nec vllam craſſitiẽ comparat, mortiferum ſignum eſt: hæc Gal.

Hipo. 2. progn. 34. Gal. 1. de criſib. cap. 12. Auicen. 2 1. doct. 3. cap. 3.

Gal. 4. aph. 72. Auic. 2 1. doct. 3. cap. 2.

Tertio etiam in Phrenitide, Vrina tenuis, et aquoſa, eſt pernicioſa, ſignificat enim totam bilem, aut ſanguinem billioſum, à natura tranſmitti à venis ad caput, et ad membranas cerebri, vbi auget phrenitim.

Auic. 2. 1. doct. 3. Auerr. 4 collig. cap. 23.

Licet tamen Vrina optime fuerit concocta, et ſecundum naturam facta fuerit mediocris, aut etiam craſſa, poteſt tamen mingi Tenuiſſima, et aquoſa ratione obſtructionis, quare Obſtructio erit ſecunda cauſa, cur quandoque vrina mingatur tenuiſſima, vbi enim obſtructæ fuerint viæ, per quas educitur vrina, tunc mingitur tenuiſſima, & ſubtilis: et ratio eſt, quoniam ob anguſtiam viarum, non poteſt excerni niſi id quod eſt optime attenuatũ, et valde ſubtile, quare mingitur ſola acquoſitas vrinalis, et ſimplex aqua, quæ eſt materia ipſius vrinæ, quæ cũ ſit tenuis et ſubtilis, ideo mingitur vrina tenuis, ſed id quod erat mixtum cum vrina, et reddebat illam corpulentam, et coloratam, ob anguſtiam viarum non educitur, ſed ſeparatur ab vrina, et hac ratione in Nephritide, vrina mingitur tenuiſſima, eo quia vrina veluti per defæcatoriũ emuncta, Tenuiſſima educitur, vt patet ex ijs qui vinum limoſum, et craſſum colantes,

tes, tenuiſſimum et clariſſimum efficiunt: quod autem vrina Tenuis ſit ratione obſtructionis, cognoſcitur ex dolore partium obſtructarum.

Hac ratione dicit Galenus praua autem ſufficienter eſt vrina, quæ tenuis et alba eſt ſicuti aqua, nam ſimplex eſt quidem diſpoſitio, ſed vltimæ eſt imbecillitatis indicium: et in fine ſubiungit, quæ alba eſt, et tenuis, cruda exiſtit, et cruditatem ſignificat. 1. de criſib. cap. 12.

Craſſæ vero Vrinæ cauſa, eſt humor crudus, & craſſus mixtus cum vrina, vt enim docet Galenus, per ad mixtionem humoris crudi, & craſſi, redditur vrina Craſſa: non ſecus ac ſicum aqua, miſceatur oleum, aut pinguedo, vt quando cum vrina miſcetur pituita quæ dicitur humor crudus, & craſſus, & quoniã iſti crudi & Craſſi humores generantur indiminuta concoctione, à debili calore, hinc etiam factum eſt, vt vrina Craſſa, ſit ſignum cruditatis, & diminutæ cõcoctionis, cum pituita ſit ſanguis ſemicoctus, & per vlteriorem concoctionem à fortiori Calore, poſſit conuerti in ſanguinem: Notãdum tamen eſt, quod quandoque cum vrina miſcetur humor melancolicus, qui cum ſit craſſus, reddit vrinam craſſam, ſed quia libro de vrinis cap. 12. — 1. de criſib, cap. 12 in fine.

iſte humor eſt niger, & obſcuri coloris, ideo tunc Vrina mixta cum tali humore, non ſolum erit craſſa, ſed nigra, & ideo facile cognoſcimus talem vrinam eſſe craſſam, per admixtionem melancoliæ, & non pituitæ, quod tamen rariſſime contingit.

Gal. 1. de criſib. cap 12.

Dicamus igitur, Vrinam Tenuem, & Craſſam, fieri ab vna, & eadem cauſa, nempe adiminuta concoctione, & debili calore: in hoc autem diſtingui, quoniam cum tenui vrina, non admiſcetur humor crudus & craſſus, ideo remanet tenuis, ſed cum craſſa admiſcetur humor pituitoſus, & crudus: quod ſi dicatis Craſſum, & Tenue, ſunt contraria, ergo non poſſunt fieri ab eadẽ cauſa.

Reſpondeo quod vna & eadem cauſa, primo, & per ſe, non eſt apta parere effectus cõtrarios, niſi ex diuerſa diſpoſitione materiæ, ſicuti idem ignis, liquefacit ceram, & picẽ, & lutum condenſat, idem contingit in vrina ratione humoris crudi, vt diximus: vbi igitur cũ vrina miſceatur humor craſſus et uiſcidus ſemper redditur craſſa: ſecundo notandũ eſt, quod iſti humores crudi, & craſſi, qui mixti cum vrina reddunt illam craſſam, ſe habent in duplici differentia, aut enim primo mixti cũ vrina minguntur, in

princi-

principio morbi, materia exiſtente cruda, & tunc euacuatio horum crudorum humorum per vrinã, eſt Simptomatica & mala, ſignifi cat enim multitudinẽ crudorum humorũ, et ex conſequenti cũ virtute, debili mortẽ, ſed cũ valida virtute morbi longitudinem, cũ natura non poſſit niſi longo tẽpore concoque re tantam copiam crudorum humorum: ſed ſi virtus ſit debilis, facile ſuffocatur, a nimia multitudine, et æger moritur.

Sed ſi iſti humores Crudi, mixti cum vrina, euacuentur indeclinatione viuerſali ipſius morbi, cõcocta materia, talis vrina craſſa, et iſta euacuatio crudorũ humorũ, facta indeclinatione, dicitur Optima et Critica, facta à natura bene operãte, quia educitur per vrinã humor peccans, concoctus, per loca cõferentia, et morbum ſoluit, vt docet Gal. et Auic. vt in Sciatica, in dolore iũcturarũ, podagra, etc. et indeclinatione vrina craſſa eſt bona, et critica, quia ſignificat naturã poſſe attenuare materiã craſſã, quæ parit dictos morbos, & diuertens eã a iuncturis ad veſicã cõuertit: Hic tamen occurrit Diſſicultas: ſi enim Vrina dicitur craſſa, per admixtionem crudi, et pituitoſi humoris, ergo omnis Vrina erit craſſa. Conſequentia probatur,

2. progn. com. 33. 4 aph. com. 69. 2 1. doct. 3. cap.

quia ſemper in venis, ſimul cum vrina mixta eſt pituita, vel ſecundum nos ſanguis pituitoſus, cum ſecundum communem opinionem, omnes quatuor humores, actu reperiantur in venis.

Secundo confirmatur hoc idem, quia neceſſario ſequeretur, quod in omni diminuta, & imperfecta concoctione, vrina eſſet Craſſa, & nũquam tenuis, conſequentia probatur, quoniam in omni diminuta concoctione, à debili calore, generatur maior copia humoris crudi & pituitoſi, qui mixtus in venis cũ vrina, redderet illam craſſam.

Reſpondeo quod non omnis pituita mixta cum vrina, reddit illam craſſam, cum hoc non ſit verum de naturali pituita, vel de ſanguine pituitoſo, qui cum ſit humor & ſe habeat ſecundum naturam, in conuenienti quantitate, & optima qualitate, conſeruatur a natura, pro nutritione partium, & non expellitur ſimul cum vrina: & eo magis quia cum ſe habeat ſecundum naturam, non erit adeo craſſus, & viſcidus, vt poſſit reddere vrinam craſſam: quare ſola pituita non naturalis & humores crudi præter naturam geniti, ſunt illi qui cum ſint excrementa, inepti ad concoctionem, nec apti

vt poſ-

vt poſſint nutrire, ideo vt inutiles, & noxij, expelluntur à natura, & mixti cum vrina, reddunt eam craſſam, & ſimul cum ea educuntur, ſed licet vrina reddatur Craſſa ab iſto humore crudo, & pituita nonnaturali viſcida, & lenta, non tamen omnis talis pituita præter naturam, mixta cum vrina, erit apta reddere illam craſſam, niſi ſit in maxima quantitate, quia vbi pauca generetur, mixta cum multa vrina, non poterit illam reddere craſsam, & hac ratione docent Hipo. & Gal. quod Vrina Craſſa ſignificat multitudinem, & copiam crudorũ humorum, & ideo reſpondeo in forma ad ſecundum Argumentum, quod licet iſta pituita non naturalis, generetur indiminuta concoctione, à debili calore, non tamen valet dicere, ergo in omni diminuta cõcoctione, generatur iſta cruda pituita, non naturalis, ſicuti nec valet iſta conſequentia, omnis homo eſt animal, ergo omne animal eſt homo: & ratio eſt, quoniam ad hoc vt generentur iſti crudi humores, non ſolum requiritur cauſa efficiens, quæ eſt diminuta concoctio & debilis calor, ſed ſecundo requiritur materia apta, ex qua poſſint generari iſti crudi humores, & quoniam non ſemper

2. progn. com. 33. 4. aph. 69.

 repe-

reperitur, ita nec ſemper in omni diminuta concoctione generantur iſti crudi humores non naturales: ſed vbi generantur in multa copia, tunc mixti cum vrina ſemper reddunt illam Craſſam. Vltimo notandum eſt quod per vrinam craſſam intelligit Gal. vrinam turbidam, cum omnis Vrina Craſſa, ſit turbida, licet quamplurimi doctores, et fere omnes contrarium credant: eſſe tamen verum quod nos dicimus, craſſam, et turbidam vrinam idem eſſe, videatis Galenum ſic loquentem primo de criſ. cap. 12. Nam quæ ſe ipſa Craſſior eſt, vel tenuior cō coctionem imperfectam ſignificat: ſi quidem altera non dum in humorem conuerſa eſt, altera vero adhuc conturbata eſt: quo quidem in loco appellat Galenus vrinā craſſam turbidam: et alibi ſic docet, vrina naturalis mediocri conſiſtentia eſt prædita, vt nec inſtar aquæ ſit tenuis, nec tam craſſa vt iumentorum vrina, hæc Galenus, vnde infero, ſed vrina iumentorum, quæ dicitur craſſa à Galeno eſt turbida, ergo craſſum et turbidum idem ſunt.

Gal. 2. prog. com 31. & etiā com. 27.

Confirmatur hoc idem, quoniam vbi cū Vrina miſcentur crudi, et craſſi humores, ſemper vrina ſit Turbida, vt dicemus dum

erit

erit ſermo de turbulenta urina.

Moderata & mediocris Vrina illa eſt, quæ media ſit inter tenuem, & craſſam, quæ quidem ea ratione apparet mediocris, quoniam mixta cum chilo, dum chilus conquoquitur in venis, & conuertitur in ſanguinem, ipſa quoque urina, aliquam recipit mutationem, ratione cuius, dicitur impropric concocta, & cũ omnis concoctio fiat in craſſando, ideo & ipſa urina in tali alteratione, in concoctione, recipit aliquã craſſitiem, et ideo nõ amplius remanet tenuis, acquoſa, et ſubtilis, qualis eſt de ſui natura, ſed mediocris, et cũ aliqua craſſitie, ſic. n. docet Gal. urina ſecundũ naturam, mediocri exiſtentia præditã eſſe decet, nec inſtar aquæ tenuẽ, nec tam craſſam, vt iumentorũ urinæ ſimilis videatur: hæc Gal. Quare cauſa vt vrina ſit moderata, et mediocris, in ſubſtãtia erit optima, et perfecta cõcoctio epatis, et venarũ, et ideo vbi vrina mingitur in ſubſtãtia mediocris, ſignificat bonã diſpoſitionẽ Epatis, et venarũ, et naturalẽ calorẽ illarum partiũ, optimũ eſſe, ac ſecũdã Cõcoctionẽ in Epate, et venis, fuiſſe perfectã, et chilum in ſecunda concoctione fuiſſe trãſmutatum in optimum ſanguinem, et humores exiſtentes in

Gal. 2. prognoſt. com. 27. & 31. 1. de criſib. cap. 12.

2. progn. com. 31.

tes in venis, ſe habere ſecundum naturam, & optimos eſſe.

2. 1. doct. 3. cap. 3. *Et ſi dicatis vos, quæ nam vrina deterior eſt, Tenuis an Craſſa, Reſpondet Auic. quod deterior eſt Tenuis, quam Craſſa: & ratio eſt, quoniam craſſa ſignificat aliquam digeſtionem, ſcilicet permixtionem aliquã groſſi cum ſubtili, quæ eſt digeſtionis inchoatio, ſecundo quia ſignificat virtutem expulſiuã validam eſſe ad expellendam materiã craſſam, & miſcere cum vrina, ſed Tenuis vrina ſignificat omnimodam cruditatem, & debilitatem omnium virtutum.*

De colore ipſius Vrinæ, quæ nam ſit cauſa, vt Vrina ſit Colorata. Cap. V.

C*Vm Vrina diuerſimode appareat colorata, & quandoque ſit vnius, aliquãdo alterius coloris, ideo grauiſſima oritur difficultas, quæ nam ſit cauſa huius diuerſitatis in vrina, ſecundum colorem, pro cuius quidem maiori declaratione, tria hic veniunt conſideranda: Primo, quæ nam ſit cauſa vt vrina ſit Colorata, ſecundo de differentijs vrinarum ſecundum colorem,*

tertio

tertio & vltimo, quid poſſit præſagire vrina ſecundum diuerſitatem Colorum.

Quoad primum notandum eſt, quod cũ Vrina in ſui ſubſtantia ſit aquea, & magna ex parte tãquam ex materia, generetur ex aqua quæ bibitur, & ſumitur in iuſculis etc. quæ cum non ſit apta nutrire, degenerat in vrinam, et dicitur Excrementũ tenuæ primæ concoctionis, et cum aqua nullum habeat colorem, ita et Vrina per ſe, ſecundum ſui naturam, cum aqua ſit, nullum habet colorem, et ſi quandoque appareat Colorata, hoc eſt ab extrinſeco, et recipit illum colorem ab extrinſecis aduenientibus, non ſecus ac aqua redditur diuerſimode colorata ſi cum ea miſceatur crocum, aut atramentum, etc.

Si ergo dicetis vos, Vrina ex permixtione alicuius ſubſtantiæ, redditur colorata, et quod nam erit iſtud, quod mixtum cum Vrina, reddit illam Coloratam, Reſpondeo eſſe humores, qui mixti ſimul cum vrina reddũt illam coloratam, ſic enim docet Gal. quod Vrina ex mixtione humorum, diuerſos, ac varios recipiat colores; ſed rurſus hic oritur et altera difficultas, ſi enim Vrina ex mixtione humorum, recipit varios colores, 6. epidem com. 5. tex. 15.

et cum

& cũm vrina in venis mixta ſit cum tota maſſa ſanguinea, et cũ omnibus quatuor humoribus, quæritur igitur, an à quocunq; humore recipiat diuerſum colorẽ, ita vt ſi mixta fuerit cum Pituita, recipiat vnum colorem, et ſi miſceatur cum Bile alterum, ſi cũ Atrabile alium, ſimiliter et cum ſanguine: videtur enim hoc eſſe verum quoniam cum excrementa, ſuſcipiant varios colores, ex humoribus qui cum ipſis excrementis permiſceantur, et cum excrementa ſecundum quod vno, vel altero humore permiſceãtur, ita varium et diuerſum habent colorem, ita quoque & vrina varios habet colores, prout miſcetur modo cum vno, modo cum altero humore, nõ ſecus ac aqua ſi ei miſceatur crocum, redditur in colore flaua, ſed ſi cum aqua miſceatur atramentum redditur nigra.

Melius tamen eſt dicere ſecundum communem opinionem, à ſola Bile, Vrinam reddi Coloratam, et ſecundum diuerſitatem bilis, diuerſos recipere colores, ſic docet Gal. dum ſic dicit quod à renibus non ſincera aquoſitas vrinalis, ſed ſimul cum ea tum bilis flauæ nõ exigua copia, tũ ſanguinis, quod ſ. humidius et tenuius eſt, ſanguis vero alimentum

5. de vſu part. cap. 6. & Auic 1. cant. tract. 2 tc. 294.

mentum renibus adÿcitur, ipſa vero bilis, quæ non admodum craſſa eſt vrinæ admixta, colorē tradit: hæc Galenus: & cum ex eius ſententia ſola bilis admixta ſit Vrinæ (hoc autem intelligiur naturaliter, quoniã etiam alÿ humores præter naturam, vrinæ poſſunt admiſceri) ergo ex ſola Bile, Vrina colorem habet, et ſecundum eius diuerſitatem, diuerſos recipit colores, et quoniam bilis ſecundum naturam, et dum ſeruat proprium temperamentum, in colore eſt rufa, vel flaua, ideo vbi mixta fuerit cum Vrina, aliquantiſper ab eius aquoſitate remittitur color flauus ipſius Bilis, et ideo reddit Vrinam in colore ſubrufam, citrinam, vel colore ipſius paleæ, iſte eſt color optimæ, et perfectiſſimæ Vrinæ, qui medius eſt inter album, et flauum ſicuti eſt cortex ipſius citri, vel palea ipſius ordei, qui cum parum declinet à colore citrino, vergit magis ad pallidum: vt enim docet Galenus: naturalis vrina modice pallida eſt, quæ ex humore concocto ſecreto ſit, et parũ flauæ Bilis receperit: cuius ſane ſi plus affluat quam conuenit, vel ſincera admodũ vrinæ miſceatur, vrina ruffa erit: hæc Gal. ſed ſi Bilis ſe habeat præter naturam, tunc

1. de criſib cap. 12. Gal. lib. ſibi adſcritto de Vrinis cap 38.

2. progn. com. 31.

cum

cum diuerſæ ſint eius differentiæ et ſpecies, vt æruginoſa, cærulea, et ideo mixta cum vrina, diuerſos facit Colores, et ſicuti bilis ſecundum naturam, aut eſt pallida, aut flaua, vel rufa, ita bilis præter naturam multæ ſunt ſpecies, vt vitellina, eo quia vitellis ouorum ſit ſimilis in colore, et in craſſitie, alia dicitur praxoides ſeu porracea, altera æruginoſa, et c. quæ fiunt per aduſtionem, vbi inquam bilis fuerit aſſata.

Gal. 10. de ſimpli. med. cap. debile

Dicamus igitur, quod naturalis Vrina quæ optime ſit concocta, in homine optime ſano, vt docet Galenus, in colore eſt ſubruſa, et ſubflaua, magiſque, ſubruſſa, quã ſubflaua quo etiam in loco oſtẽdit Galenus, vrinam reddi coloratam à bile.

1. de criſib. cap. 12.

Vrina non redditur Colorata à Bile, vt perperam omnes crediderunt sed à ſolo Sanguine. Cap. VI.

C*Ommunis opinio, quod ſcilicet Vrina ſit Colorata, et diuerſos habeat colores per admixtionem ipſius Bilis, patitur grauiſſimas difficultates, et primo, ſi perfectiſſima vrina in corpore optime ſano, eſt ſubflaua*

ſlaua per admixtionem ipſius Bilis, ergo non erit ſignum primo et per ſe, immediate, ſecundæ cõcoctionis, nec ſanguinis exiſtentis in venis, conſequẽtia probatur, quoniam immediate et per ſe, in ſecunda concoctione generatur ſanguis, et non bilis, cũ ſit excrementum ſecundæ concoctionis, et ſanguinis, vt alibi declarauimus, ergo illa vrina immediate et per ſe, non oſtendit perfectam ſanguinis concoctionem, ſed ſolum ipſius Bilis: ſi dicas, vbi excrementa optima ſunt, neceſſario concoctio erit perfecta, cum ergo illa vrina ſubſlaua, ſignificet in ſecunda concoctione in epate, generatam fuiſſe optimam bilem, oſtendit etiam ſecundario generatum fuiſſe optimũ ſanguinem: Contra, quia poteſt generari optima bilis, et tamen ſanguis ſit malus: probatur quoniam optimus ſanguis generatur ex optimo nutrimento, ſicuti ex malo victu, malus generatur ſanguis, ſi ergo Socrates veſcatur cibis bilioſis, non tamen in extremo, ſed moderate bilioſis, iſti per concoctionem à naturali calore, conuertuntur in optimam, et moderatam bilem, non tamen excedentem, et ſuperfluam, et tamen in tali concoctione ſanguis non erit optimus, ſed imperfectus, tunc

lib. 1. de concoctione.

in iſto

in iſto homine ab illa temperata, et moderata bile, vrina ſecundum communem opinionem, redditur bene, et optime, Colorata, et ſignificat optimam bilem, non tamen oſtendit Optimum ſanguinem: ſi Dicatis ab iſtis cibis calidis, et ſiccis, licet generetur optima Bilis, in qualitate, tamen generatur in excedenti quantitate, quia fere totus ille cibus, conuertitur in bilem, et ideo illa vrina à nimia, et copioſa bile erit valde colorata, et ideo non erit Optima: Contra ponamus dicta alimenta calida et ſicca, eſſe moderata in qualitate, (ita vt non ſit verum, tota conuerti in bilem) et etiam in quātitate, adeo vt bilis generetur in proportionata, et conuenienti quantitate, apta poſſe optime colorare vrinam, et tamen licet vrina in colore optima ſit, non tamen oſtendit optimum ſanguinem, quia ſanguis generatus à tali cibo erit malus, quia calidus et ſiccus. Confirmatur, quia vtentes victu tēperatiſſimo, generant perfectiſſimum ſanguinem, et modicam copiam bilis, et ratio eſt, quoniam fere totus ille perfectiſſimus cibus, conuertitur in optimum ſanguinem, et paucum illius conuertitur in bilem, ergo in tali caſu, vrina erit fere alba, et nō ſubflaua,

flaua, eo quia illa pauca bilis, nō poteſt multum colorare vrinam, preſertim ſi vrina in tali corpore fuerit multa, et copioſa, ergo talis vrina indicabit diminutam concoctionem et tamen hoc eſt falſum, quoniam concoctio facta in Epate perfectiſſima eſt, ergo cogimur fateri colorem Vrinæ, non eſſe à Bile: Secundo vrina per ſe nullum habet colorem, ſed redditur Colorata ex permixtione alicuius humoris, cum ergo vrina in venis mixta ſit ſecundum communem opinionem, cum omnibus quatuor humoribus, ergo, vel ab omnibus, vel ab aliquo illorum redditur colorata: ſi ab aliquo, ergo ab humore prædominante, ſed ſanguis reperitur in maiori copia quam Bilis, ergo magis à ſanguine redditur Colorata quam à Bile.

Confirmatur, quoniam ſi Vrina ex permixtione alicuius excrementi, nempe Bilis, aut melancoliæ, vel pituitæ, reddi debet Colorata, neceſſario à prædominante recipit colorem: ſed in melancolico reperitur maior copia melancoliæ, quam bilis, ergo in eo vrina redderetur colorata à melācolia, quæ cum ſit nigra, ergo in melancolico vrina erit nigra, ſimiliter in vltimo ſene, et in

corpore pituitoſo, credendum eſt Vrinam magis reddi Coloratam à copioſa, & prædominante pituita, quam à pauca Bile, & ſic appareret alba, et craſſa, ſicuti eſt pituita: ſed cum hoc non ſit verum, eo quia vt plurimum in Melācolicis, et pituitoſis, vrina apparet ſubflaua, et cum flauum colorem, nō poſſit habere à pauca Bile quæ reperitur in illis corporibus, dicendū eſt igitur, aliunde reddi coloratam, & non à Bile, nulla enim eſt ratio, cur vrina ſi eſt colorata ex permixtione alicuius humoris, cū mixta ſit in venis cum omnibus humoribus, quare magis à Bile, quàm à ſanguine, vel à melancolia ſit colorata, præſertim in ijs, in quibus reperitur maior copia melancoliæ, pituitæ, aut ſanguinis, quam Bilis: ſicuti enim ſi cum aqua miſceatur crocum, aut atramentum, à prædominante recipit colorem, ſi enim crocum ſit in maiori copia, Aqua erit flaua, quod ſi atramentum ſuperet, redditur nigra: eodem modo dicendum eſt de Vrina, quæ cum mixta ſit in venis cum ſanguine, Bile, melancolia, & pituita, neceſſe eſt vt ab humore prædominante, reddatur colorata, & cum in venis reperiatur maior copia ſanguinis, quam Bilis,

non

non video igitur quomodo ſit veriſimile, vt potius à pauca Bile, quam à multo ſanguine poſſit reddi Colorata: ſimiliter in melancolico, cum maior copia melancoliæ mixta ſit cum Vrina, quam Bilis, non video quomodo poſſibile ſit fateri, potius à Bile, quam à prædominante melancolia, reddi Coloratam. Dicamus igitur ad quæſitũ, Vrinam à ſolo Sanguine reddi Coloratam: Cum enim Vrina in venis ſit mixta cum ſanguine, & reperiatur maior copia ſanguinis, quàm Bilis, ideo à ſanguine & non à Bile redditur Colorata: & eo magis confirmo hanc meam ſententiam, quoniam vt alibi diximus, in venis actu ſolus ſanguis reperitur, cum ergo in venis non reperiatur actu Bilis, ergo à Bile nullum habet colorem. lib. 2. de concoct. cap. 8.

Et ſi dicat Quiſpiam veſtrum, ſanguis colore eſt rubeus, ergo Vrina à ſanguine Colorata eſſet rubea, & non ſubflaua, aut citrina.

Reſpondeo, quod optimus Sanguis, ſecundum propriam naturã non eſt rubeus, vt cõmuniter creditur, ſed potius flauus veluti color Purpureus roſarũ: et veram eſſe hanc noſtrã ſententiam, videatis Gal. ſic loquentẽ:

Gal. 1. de criſib. cap 12.

& ſanguinis color non nunquam flauior exiſtit, non nunquam rubicundior apparet, vnde ſanguinem ipſum, aliquando flauum, aliquando rubrum dicunt, non nunquam vero ſanguis maxime flauus, eundem habet colorem cum bile, ad ſummum etiam flaueſcente colorem, ſed eſt illa quidē flauior: ſanguis vero rubicundior: nam qui apprime flauus eſt ſanguis, medius eſt inter bilē, ac exquiſitum ſanguinē, in ijs qui ſecundū naturam ſe habuerint: hæc Galenus.

Sed hoc idem probatur ratione, & primo, Sanguis optimus ſecundum propriam naturam, tenuiſſimus eſt, et puriſſimus, ergo non eſt rubeus: conſequentia probatur, quoniam ea quæ ſunt rubæa, ſunt etiam craſſiora, & terreſtriora, & magis impura, quam ea quæ ſunt flaua, vt docet Gal. exemplo vini quod inter vina eaque rubea ſunt, ſunt etiam craſſiora, & terreſtriora quam flaua, & ea quæ minus ſunt rubea: probatur hoc idem exemplo aliarum rerum quæ colore ſunt rubeæ.

2. aph. com. 11. 12. meth. med. cap. 4.

Secundo ſanguis optimus habet naturalem calorem aereum, mitem et ſuauem, nō autem igneum, ſiccum, & adurentem, ergo in colore non eſt rubeus: conſequentia probatur,

batur, quia rubedo fit ab igneo, & adurenti calore, ſic aqua ab adurenti calore fit rubea, & carnes aſſatæ, & carbones rubei fiunt.

Tertio ſanguis optimus, non ſolum ratione ſubſtantiæ quia tenuiſſimus eſt, non ſolum ratione naturalis caloris: non poteſt eſſe rubeus: ſed nec etiam ratione ſpirituum: ſi enim ſanguis eſſet rubeus, ergo pauca copia ſpirituum, et naturalis caloris, in ſanguine reperiretur, conſequentia probatur, quia ſicuti ratione caloris, et ſpirituum, fit luciditas, itaque à frigiditate propter reſolutionem, caloris, et ſpirituum, fit obſcuritas, ſed color rubeus vergit ad obſcurum & ad nigredinem, ergo ſignificat extinctionē caloris, & reſolutionem ſpirituum, quoniā ergo res omnes à ſpiritibus fiunt clariores, & magis lucidæ, & in colore cærulea, vt patet in illa quinta eſſentia, quæ fit per diſtillationem, ergo cum in ſanguine reperiatur maxima copia ſpirituum, dicendum eſt ſanguinem eſſe clariſſimum, et non rubeū, cum rubedo vergat ad obſcuritatem.

Concludamus igitur, quod ſicuti inter vina, ea quæ nigra, uel rubea dicūtur, ſunt magis impura quam flaua, et cætera vina ita

& ſanguis rubeus, erit magis impurus, quã clarior, et lucidior qui habeat colorẽ roſarũ.

Et ſi dicatis vos, Medicus eſt artifex ſenſatus iudicat res ipſas ſecundum ſenſum, cũ ergo ſecta vena ſanguis appareat rubeus, & ſenſus nunquam decipitur circa propriũ obiectum, ergo re vera erit rubeus.

Reſpondeo quod nos loquimur de optimo ſanguine, in homine optime ſano, talis autem ſanguis, vbi ſecta vena educatur, dico quod non erit re vera rubeus, ſed illius Coloris vt ſupra diximus, quod ſi appareat re vera rubeus, dicatis non eſſe optimũ ſanguinem, ſed receſſiſſe per aduſtionem, à natura optimi ſanguinis: et ſi Dicatis, Hip. & Gal. perpetuo apellaſſe ſanguinem rubeum, dicatis per rubeum non intelligere veræ, & exquiſite rubeum, ſed pro vt comprehendit omnes colores medios, inter flauum, & nigrum, & ſic etiam improprie loquendo dicimus colorem Granatorum & Roſarum, & qui dicitur ſcarlatto eſſe rubeũ, licet re vera diſtinguatur à rubeo: Dicatis tertio, quod Optimus Sanguis, ſecundum propriam naturam, eſt purpureus (eo modo quo diximus) dum eſt in venis tanquam in proprio loco, vbi reperitur maxima co-

pia

pia ſpirituũ & naturalis caloris, ratione quorũ ſanguis redditur magis lucidus: vbi vero ſanguis fuerit extra venas, quia ſtatim reſoluitur ſpiritus, & calor à frigiditate ambientis, ideo & ſanguis ſtatim mutat colorem, et primo fit rubeus, paulo poſt facta maiori reſolutione, fit niger, vltmo corumpitur ſecundum totam ſubſtantiam, & putreſcit, et ideo non eſt mirum ſi ſecta vena ſanguis optimus mutat colorem, et appareat rubeus.

Et quomodo dicetis vos, ſecta vena tam ſubito reſoluitur ſpiritus, & calor, vt ſanguis ſtatim appareat rubeus.

Reſpondeo et quomodo omentum vbi excidat ſtatim putreſcit, vt docet Hipo. Si ergo omentum ſtatim putreſcit ob reſolutionẽ ſpirituum, et extinctionem caloris, quanto ergo citius extinguitur calor et reſoluuntur ſpiritus in ſanguine, qui tenuior eſt multo quam omentum? 6. aubo. 57.

Dicatis igitur quod ſicuti crocũ licet appareat rubeum, tamen aqua à croco non fit rubea, ſed flaua, quid ergo mirum ſi quid ſimile accidat ſanguini?

Et ſi dicatis nõ eſſe verũ, vrinã à ſanguine reddi Coloratam, eo quia natura retinet

ſanguinē pro ſui nutritione, & ideo illum nō excernit mixtum cum vrina: & hac ratione factum eſt vt cum vrina miſceatur Bilis, quæ cum ſit excrementum inutile, nullum eſt inconueniens vt ſimul cum vrina excernatur, & ab ea reddatur Colorata. Reſpondeo, quod modica pars ſanguinis eſt apta colorare vrinam & eo magis, quoniā natura non eſt adeo auara de ſanguine, cū ſæpe videamus profluuium ſanguinis e naribus, factum à natura bene, et critice operante, ſimiliter per menſtrua, & hæmorroidas, et tamen natura ex tali euacuatione, aut nihil vel parum patitur, et ſi rurſus dicatis quod à rebus augentibus bilem in corpore, vrinæ multæ bilioſæ generantur, ſi autem à ſanguine redderetur Colorata oportebat non à Bile aucta, ſed à ſanguine aucto colorari. Reſpondeo vrinam colorari non à rebus augentibus bilem, ſed à rebus augentibus ſanguinem valde calidum, & quia ab eiuſdem rebus augetur Bilis et ſanguis calidus, ideo perperam omnes crediderunt vrinam à bile reddi coloratam.

Confirmatur iſta mea opinio, quoniam ſi ſanguis crudus, imperfectus et aquoſus, aptus eſt colorare vrinam, et reddere illam

rubeam, ergo multo magis ſi ſanguis fuerit optimus, mixtus cum vrina reddit illam coloratam: antecedens eſt Galeni conſequentia eſt nota.

2. progn. com. 28. 1. de criſib cap. 12. 4. aph. com. 71. Vide infra cap. 8.

Concludamus igitur ex prædictis, quod cum vrina à ſanguine redditur Colorata ideo dicitur ſignum proprium, & immediatum, ſecundæ concoctionis, & ſanguificationis, et dicimus, primo, & per ſe immediate, oſtendere, & demonſtrare diſpoſitionem ſanguinis, & an chilus in Epate, & in venis optime fuerit concoctus, et conuerſus, in optimum ſanguinem, eo quia ſecundum diuerſitatem ſanguinis, diuerſo modo apparet vrina Colorata.

Quare ſi vrina in venis redditur Colorata ab aliquo humore, tutius eſt fateri à Sanguine reddi Coloratam, quam à Bile.

Videtur tamen quod nec à ſanguine, nec à Bile vrina ſit Colorata, et ratio dubitandi eſt primo, ſi à ſanguine vel à Bile vrina eſt Colorata, ergo ſicuti ab optimo ſanguine, & optima Bile, vrina eſt optime Colorata, ita quoque à malo et nigro ſãguine, et nigra Bile, vrina redderetur nigra, hoc tamen eſt falſum, quia in melancolicis, in quibus ſanguis eſt niger, et in maniacis vbi bilis ſit nigra,

2. progn. com. 28. 1. de criſib. cap. 12. 4. aph. com. 77. Vide infra cap. 8.

gra, vrinæ tamen non excernuntur nigræ, immo bene & optime Coloratæ, ergo ſignum eſt vrinam non reddi Coloratam, nec à ſanguine nec à Bile: Confirmatur, quia ſi per te vrina à Bile ſit Colorata, ergo ſicuti à Bile flaua Vrina in colore ſit ſubflaua, ita quoq; à Bile nigra, porracea, æruginoſa, Vrina etiã redderetur nigra, porracea, etc. quod tamen falsũ eſt, vt docet experiẽtia

Secundo ſi Vrina à ſanguine, Vel à Bile redditur Colorata in venis, ergo nunquam poſt copioſam cœnam Vrina erit alba: Conſequentia probatur, ſi Vrina recipit colorem in venis à Bile, vel à ſanguine, ponamus quod in Socrate reperiatur optimus ſanguis, et optima Bilis in venis, ſi tamen cenauerit plus iuſto, ſtatim vrina apparet alba ſine colore, et ratio eſt ſecundum communem opinionem, quia cum cibus aſſuntus in tanta copia, non poſſit optime concoqui, ideo ex eo generatur aquoſus, et crudus ſanguis, vel acquoſa, et cruda Bilis, quæ mixta cum vrina, aut non reddit illam coloratam, aut valde parum. Sed contra eſto quod iſte paucus ſanguis, et bilis generata ex iſto crudo cibo, non ſit apta colorare Vrinam, et quare iſta Vrina vbi ſimul cum illo ſanguine

crudo

crudo, defertur in venis ibi mixta cum optimo et copioſo ſanguine, et optima Bile, non redditur Colorata, ſi ab eis poteſt reddi Colorata? Cum ergo in tali caſu, licet mixta ſit in venis cum optimo ſanguine, vel cum optima Bile, cum tamen mingatur alba ſine colore, cogimur ergo fateri, non reddi Coloratam ex mixtione humorum, quia in tali caſu eſset Colorata.

Tertio ſi Vrina ex permixtione ſanguinis, aut Bilis, redderetur Colorata, ergo ſecundum diuerſitatem ſanguinis vel bilis, etiam diuerſo modo Vrina appareret Colorata, ſed ſic eſt quod licet ſanguis et bilis diuerſos habeăt colores, tamē vrina mingitur magna ex parte eodem modo Colorata, & citrina, ut patet in melancolicis, pituitoſis, et temperatis, in ægris, & ſanis, ergo non ab humoribus eſt Colorata.

Quarto ſi vrina eſt colorata à bile, ergo optime Colorata vrina, erit ab optima & concocta Bile, & oſtenderet humores exiſtentes in venis eſſe concoctos, ſed hoc eſt falſum, quia in principio ipſius febris, quandoque Vrina apparetoptime Colorata, & tamen Bilis eſt Cruda, & rebellis, & parit febrem, ergo illa Vrina optime Colorata in prædicto caſu

non poteſt eſſe Colorata à Bile, quæ cruda eſt et mala, ſi ergo quandoque vrina eſt optime concocta, et tamen humores ſunt crudi, ergo non redditur colorata ab humoribus: Cum igitur bilis quandoque ſit cruda et ſe habeat præter naturam vt in principio et augmento febris tertianæ, et tamen quãdoque vrina appareat perfectiſſima, ergo non poteſt eſſe Colorata ab illa Bile, nec erit verum vrinã reddi Coloratam ex permixtione alicuius humoris, præſertim cum ſæpe ſepius videamus humores peccantes putridos, et à toto genere præter naturam, et tamen vrina mingitur Optima, et optime Colorata, et ſubflaua, et hoc magna ex parte apparet in febre Peſtilenti, et in multis febribus putridis: quomodo ergo ex optima vrina poſſumus cognoſcere concoctos eſſe et ſuperatos à natura humores peccantes? quoniam licet vrina optima ſit, et concocta, humores tamen ſunt crudi et æger moritur.

Sicuti etiam ſæpiſſime videmus vrinam valde crudam tenuiſſimam, et ſine colore, et tamẽ morbus erit indeclinatione vniuerſali, et febris amplius non reuertitur, et ſanatur æger, ergo ex vrina nullo modo cognoſcimus Tempora morborum, nec concoctionem,

nem, et cruditatem morbi, cum in iſto caſu vrina ſit cruda, et morbus ſit concoctus.

Sed quid eſſet, ſi fortaſſe diceremus, Vrinam non reddi Coloratam, ex mixtione alicuius humoris, ſed reddi Coloratam à Naturali calore, per ſolam alterationem, et concoctionem: et quomodo rurſus dicetis vos, Vrina vbi incaleſcat, et à naturali Calore fuerit alterata poteſt varios, et diuerſos recipere colores? Reſpondeo quod ſicuti aqua vbi incaleſcat, et ferueat, recedit à proprio temperamento, eo quia non ſolum mutatur in ſubſtantia, cum per concoctionem craſſior fiat, ſed etiam in colore, cum non amplius appareat ita alba, et clara, et ſecundum quod magis concoquitur, ita fit magis Craſſa et in colore rubea: ita et carnes aſſatæ ab igne, et à ſolo calore ignis, diuerſos et varios recipiunt colores, cum primo fiant flauæ, et ſi magis incaleſcāt rubeæ, et adhuc ſi magis adurantur, fiunt in colore nigræ, ergo à ſolo Calore ſine aliqua permixtione alicuius ſubſtantiæ, et aqua, & carnes, non ſolum redduntur Coloratæ, ſed etiam vario modo coloratæ: ita et aſſumpta alimenta in prima concoctione in ventriculo, à ſolo calore traſmutantur in ſubſtā- authoris opinio.

tiam

tiam albam, nempe in chilum, qui quidem chilus per vlteriorem concoctionem, in venis, et in Epate, fit rubeus, vel flauus, eo quia conuertitur in ſanguinem: ita quoq; et vrina à ſolo calore per ſimplicem concoctionẽ, et alterationem, redditur non ſolum Colorata, ſed etiam diuerſimode Colorata, ſine mixtione alicuius humoris, cum enim ſubſtantia ipſius vrinæ aquæa ſit, et ſimplex aqua, ideo tenuiſſima eſt, et ſine vllo colore, in vẽtriculo igitur vbi à naturali calore incipit alterari, mutatur in ſubſtantia et in colore, in ſubſtantia, quia recipit aliquam craſſitiem, et etiam in colore mutatur, quia non remanet ita Clara, et ſine colore, ſed recipit aliquem colorẽ (licet diminutum) diuerſum à colore aquæ: Sed vbi magis concoquatur in Epate, magis redditur Colorata, et fit ſubflaua, quod ſi à maiori & fortiori calore, alteratur fit flaua, et poſtea rubea: et ideo ſicuti à ſolo calore redditur Colorata, ita quoque ſecundum diuerſitatem caloris, et ſecundum quod Vrina diuerſimode alteratur à naturali calore, ita quoque varios recipit colores, et cum Vrina ſit magis Tenuis, quam humores, et chilus, & aſſumpta alimenta, ita quoque

Vrina

Vrina citius alteratur, et conquoquitur quā alimenta, quam chilus, et citius quam humores: Hinc factum eſt, vt quandoque in principio, aut in augmento vniuerſali morborum, Vrina apparet concocta, et tamen humores ſunt Crudi, aut ſemicocti, quia citius et facilius à naturali calore alteratur, et conquoquitur Vrina, quam humores peccantes: quod ſi dicatis, ergo Vrina non erit ſignum Concoctionis humorum.

Reſpondeo, quod poteſt dici ſignum, eo quia vbi fuerit concocta Vrina, et optime conquoquatur, oſtendit aliquomodo dominium naturalis caloris, ſed cum tamen multoties Vrina ſit optime concocta, humores tamen peccantes non poſſunt concoqui et æger moritur, hoc autem ſit quoniam a mitiori et debiliori calore concoqui poteſt Vrina, à quo tamen humores peccantes nō poſſunt concoqui, quare cogimur etiam fateri, non cognoſcere ex Vrina, humorum cōcoctionem, aut cruditatem morbiſicam.

Secundo Dubitatur, eo quia nō videtur verū, quod ex vrina cognoſcamus Tēpora vniuerſalia morborū, aut cruditatē, et cōcoctionē humorū peccātiū, et ratio dubitandi eſt, quo-

eſt, quoniam tu dicis, quod in principio, et
augmento febris tertianæ, cum Vrina min-
gatur Tenuis, Alba, et parum Colorata, i-
deo dicitur cruda, quia ſignificat tunc tem-
poris, humores peccantes eſſe crudos, et ideo
morbum eſſe in principio: tunc ſic arguo, Bi-
liſque dicitur cauſa antecedēs in tertiana,
et eſt cruda, eo quia eſt in potentia propin-
lib. 2. de concoct. cap. 2. qua ad futuram putredinem, ut alibi dixi-
mus, tunc iſta Bilis quæ peccat, et dicitur
cruda, aut per iſtam morbificam cruditatem
mutat colorem, aut non, ſi non, ergo nec v-
rina mutat colorem, ſi per te à Bile, vel ſan-
guine bilioſo, redditur Colorata: ſi dicas
mutare colorem, cum dicatur cruda, et im
potentia ad propinquā putredinem, eo quia
in ea introductus eſt calor præter naturam,
cum ergo incaleſcat plus iuſto, et fiat magis
calida à calore febrili, neceſſe eſt etiam vt
fiat magis flaua, et magis Colorata, ergo v-
rina tincta ab illa Bile, erit flaua, et valde
Colorata, cum per excalefactionem Bilis
fiat magis Colorata, ergo ſi Vrina colorata
eſt à bile, cum in principio febris tertianæ,
et omnium febrium, bilis ipſa ſit magis ca-
lida, et magis colorata, quam in declinatio-
ne, ergo in principio vrina erit magis colo-
rata,

rata, cum tamen contrarium contingat, et appareat alba, ergo non erit alba à bile, et ſic non oſtendit cruditatem Bilis.

Confirmatur, quia urina alba, ſine colore, et Tenuis, oſtendit Cruditatem alimentorum in ſanis, alimenta inquam, aut non conquoqui, aut diminute concoqui in ventriculo, ergo nō poteſt eadem urina Tenuis, aquoſa, et Alba, oſtendere morbificā cruditatem, cum ſint iſtæ Cruditates valde differentes, ut alibi diximus. lib. 1. & 2. de concoctione.

Tertio, tu dicis urinam apparere Crudam in principio morborum, et augmento, quia natura intenta circa concoctionē morbi, quaſi non aggreditur concocttonem alimentorum, et ideo cum alimenta diminute concoquantur, etiam et urina mingitur cruda. Contra in principio morborum, aſſunta alimenta non ne in ventriculo per cōcoctionem conuertūtur in chilum, et per ulteriorem concoctionem in ſanguinem, et tertio in ſubſtantiam membrorum, ſi ergo naturalis calor, potens eſt in principio morbi conquoquere alimenta, ut diximus, et quare non potens erit altera re, et concoquere urinamq; citius, et facilius poteſt alterari, quam alimenta, ut diximus ſupra: et

licet alimenta non perfecte concoquantur, cum tamen conuertantur in ſanguinem, & ſubſtantiam membrorum, quare Vrina cum Tenuiſſima ſit, non poterit ſaltim alterari in colore, et reddi optime Colorata, ſi enim ab illo calore alimenta cum fiant Sanguis, fiunt in colore rubea, & quare multo magis ab eodem calore, Vrina non poterit reddi in colore ſubflaua, & citrina?

Dubitatur tamen, quia ſi Vrina à ſolo Calore redditur Colorata, ergo in febricitantibus Vrina eſſet magis Colorata, quam in ſanis: Conſequentia probatur, quoniam in febribus augetur calor, quare & à fortiori calore, etiam Vrina redderetur magis Colorata: & tamen hoc non eſt verum cum præſertim in Quotidiana, & Quartana Vrina mingatur Alba, & quaſi ſine colore.

Reſpondeo quod et ſi Vrina reddatur Colorata ſolum à naturali calore, & non à febrili, tamen dicatis, quod in illis febribus per accidens mingitur, Alba, ratione inquam Crudorum humorum, nempe pituitæ, & melancoliæ, qui ſua craſſitie obſtruendo vias, per quas educitur Vrina, factum eſt

ut per

vt per accidens ratione obſtructionis mingatur Alba, vt alibi dictum eſt Cap. 7.

Dicamus melius, quod ſicuti fæces cum ſint excrementum primæ concoctionis, et in ventriculo per ſimplicem alterationem, à ſolo calore (abſque vlla mixtione Bilis) non ſolum fiunt in ſubſtantia Craſſæ, ſed in colore ſubflauæ, & Coloratæ, ideo oſtendunt tantum diſpoſitionem ventriculi, et non venarum: ita quoq; et vrina cũ ſit excrementum primæ concoctionis, credendum eſt in ventriculo per concoctionem, à ſolo calore reddi in ſubſtantia Craſſiorem, et in colore ſubflauam ſine mixtione Bilis (cum eadẽ ſit ratio fæcum, & Vrinæ) & ideo ſignificare ſolũ diſpoſitionẽ, ventriculi, & an alimenta in ventriculo optime ſint concocta: & ideo falſum eſt Vrinam nobis oſtendere diſpoſitionem venarum, & morbificam concoctionem, et licet ſimul cum ſanguine feratur per venas, cum ibi parum, aut nihil alteretur, ita parum, aut nihil indicat ſuper diſpoſitionẽ venarum, et in hoc potius oſtendit optimam ſanguificationem, quam morbificam concoctionem.

De differentijs Cauſis, & Iudicijs Vrinarum, ſecundum Colorem. & primo de Vrina alba. Cap. VII.

CVm urina diuerſo modo appareat Colorata, hinc etiam factum eſt, ut ſecundum diuerſitatem colorum, diuerſæ quoque conſtituantur differentiæ ipſius urinæ, prout quandoque, urina apparet alba, & ſine colore, quandoque magis & minus Colorata: & quoniam ſola urina ſubflaua dicitur optima, & ſecundum naturam in corpore optime ſano, eo quia color ſubflauus, eſt naturalis et optimus color ipſius Vrinæ, ceteri vero colores, ſunt nõ naturales, & præter naturam quoniam omnes ſecundum magis et minus recedunt, & diſtant à naturali colore ipſius urinæ optimæ, ideo de omnibus iſtis differentijs pertractandum erit, & primo de Vrina alba, quæ quidem diuiditur in duas primas differentias, prout eſt intenſe, vel remiſſe alba.

Intenſe Alba, ſubdiuiditur in duas alias differentias, quoniam aut eſt Chriſtallea aut ſecundo, Aquea.

Sed

Sed Vrina remiſſe alba, eſt in triplici differentia, Lactea, Glauca, Charopus.

De quibus omnibus, Duo veniunt conſideranda, primo, quæ nam ſit cauſa huius diuerſitatis in Vrina, nempe vt quandoque alba mingatur, & diuerſomodo alba, ſecundo quid ſignificet Vrina, ſecundum diuerſitatem colorum, & quid Medicus poſſit præſagire, ex diuerſitate colorum in vrina.

Quoad primum, videndum eſt primo loco, quæ nam ſit cauſa, vt Vrina ſit alba. Reſpondeo quod Quadruplici de cauſa vrina eſt Alba, primo ex defectu, et mala qualitate ipſius ſanguinis, cum enim vrina à ſanguine habeat colorem, ideo vbi ſanguis fuerit adeo aquoſus, & ſeroſus, ac imperfectus, vt valde parum ſit coloratus, quid mirum, ſi vrina mixta cum iſto ſanguine, aut nihil, aut parum redditur Colorata? et ſi dicatis, ſi ergo Vrina alba talis redditur à ſanguine rudi, aquoſo, et imperfecto, et quæ nã eſt cauſa vt ſanguis ita ſeroſus, et aquoſus generetur. Reſpõdeo hoc fieri adiminuta cõcoctione, vbi enim chilus, qui per cõcoctionem debet conuerti in ſanguinem, imperfecte & diminute concoquatur, tunc conuertitur in ſanguinem imperfectum, & ſe-

ſeroſum veluti eſt Sanguis, qui reperitur in venis meſaraicis, vt enim alibi diximus, chilus in venis meſſaraicis recipit Rudem, & imperfectam formam ſanguinis, quia diminute, & imperfecte ibi concoquitur, ita etiam vbi ſanguis in Epate, ac in omnibus venis diminute, & imperfecte, concoquitur, remanet aquoſus, ſeroſus, & parum Coloratus, quia Concoctio fit incraſſando, & quo magis concoquitur Sanguis, redditur etiam magis craſſus: iſta autem diminuta, & imperfecta concoctio, fit à debili, & diminuto calore naturali, ergo Vrina Alba ſignificat ſanguinem exiſtentem in venis, malum eſſe, ac imperfectum, aquoſum, & ſeroſum, & ideo etiam ſignificat diminutam, ac imperfectam concoctionem, & maximam cruditatem, & ex conſequenti debilem, & diminutum calorem: & hac ratione vrina Alba dicitur Cruda, quia ſignificat maximam Cruditatem ſanguinis, & ſanguinem eſſe crudũ, id eſt diminute, & imperfecte concoctum, eo quia naturalis calor debilis eſt, ſed cum calor naturalis Duplici modo dicatur debilis, & diminutus, aut quia extinguitur, per reſolutionem, vel ſecundo extinguitur

Gal. 1. de criſib. cap. 12. Auic. 2. 1. doct. 3. cap. 2.

per

per ſuffocationem à nimia copia, et multitudine: primo modo, aut à cauſa Externa, vel à cauſa Interna extingui, et reſolui poteſt: cauſa Externa, vt ab inedia, et longo ieiunio, vigilia, defatigatione, et magno labore, extinguitur calor: ideo et concoctio eſt diminuta, et ſanguis generatur aquoſus, et ſeroſus, et Vrina mingitur Alba: vbi ergo mingitur vrina alba, et præceſſerit inedia, aut vigilia, labor, et c. iſta Vrina dicitur cruda, et ſignificat cruditatem, et debilem calorem, ab vna illarum cauſarum.

Vel ſecundo extinguitur calor, et redditur debilis à cauſa Interna, à mala qualitate humoris peccantis, vbi ſcilicet fuerint peſtilentes, et mali Moris, qui ſua mala qualitate, calorem extingũnt, & debilem reddunt, et ſic fit diminuta concoctio, & Vrina apparet Cruda: vel eſto quod humores peccantes, non ſint peſtilentes, nec mali Moris, ſi tamen calor præter naturam, et febrilis, ſuperat, et vincit naturalem calorem, ſicuti contingit in principijs Morborum, tunc calor naturalis, factus debilis, et remiſſus à calore febrili,

diminute concoquit, & ſic vrina apparet cruda: conoſcimus vero, an calor ſit debilis à mala qualitate humoris, vel à ſolo calore non naturali, ex alijs ſignis quæ indicāt malitiam, et malum morem humorum peccantium.

Si vero calor naturalis reddatur debilis à copia, et multitudine, adhuc Dupliciter hoc fieri poteſt, vel primo ab extrinſica copia et multitudine: aut ſecūdo ab intrinſica, ab externa copia ſuffocatur, et fit debilis calor naturalis, vt quādo quis ſumpſerit cibū, et potum in maiori copia quam par ſit, ſuffocatur calor, et concoctio fit diminuta, & vrina Alba excernitur, & ſic apparēt albæ vrinæ poſt aſſumptū cibum in maiori quantitate quam conueniat, et iſta vrina dicitur cruda, et ſignificat cruditatem, et debilem calorem, eo modo quo pauco igni ſi ligna in maiori copia quam par ſit ſuper apponatur, tunc ignis obtunditur, et quaſi extinguitur, ſuffocatus à nimia multitudine: ſed vbi paulatim incipit aggredi ligna, tunc creſcit, & augetur ignis, et ſuperat ligna: ita quoque poſt aſſumptum cibum, ſi calor naturalis potens ſit ſuperare, et concoquere cibum, tunc vrinæ incipiunt apparere magis Coloratæ,

cuius

cuius ſignum eſt, meliorem fieri concoctionem, et ex conſequenti perfectiorē ſanguinem generari, à quo vrina redditur magis et melius Colorata: ideo ſi poſt cenam vrina appareat alba, ſignificat maximam Cruditatem, id eſt cibum fuiſſe aſſumptum in tanta quantitate, vt calor quaſi ſuffocatus à nimia copia, non poſſit optime concoquere: quod ſi paulo poſt, Vrina incipit apparere magis Colorata, eſt ſignum cibum aſſumptū, ſuperari à naturali calore, et concoqui, quod ſi vrina remaneat longo tempore cruda, ſignum eſt calorem omnino extingui, et non poſſe concoquere cibum.

Cauſa vero interna, extinctionis caloris, eſt multitudo humorum peccantium: et ideo in morbis pendentibus à nimia copia humorum, Vrina eſt Cruda, et eo vſque apparet vrina Cruda, quouſque natura, et naturalis calor, aggreditur concoctionem hmorum peccantium: ſtatim enim quod incipiunt concoqui, vrina incipit apparere Colorata: et ideo dicitur ſignum concoctionis, quia ſignificat humores peccantes concoqui à naturali calore, et ſecundum quod magis concoquuntur, ita et vrina magis redditur Colorata, et quando humores optime ſunt concocti,

concocti, tunc quia in optima concoctione generatur optimus ſanguis, qui mixtus cum vrina reddit illam in colore ſubrufam.

Hoc etiam poſſumus dicere, ſi ſequi volumus communem opinionem, quod ſcilicet à Bile Vrina ſit Colorata, quia vbi Bilis pauca generetur, et Cruda, et parum Colorata, tunc etiam Vrina mixta cum iſta Bile, erit Alba, iſta autem Bilis pauca, et Cruda generatur indiminuta concoctione, à debili calore, eodem modo, quò diximus de ſanguine.

Secũda cauſa eſt cur Vrina ſit Alba, Obſtructio: et quo modo ratione obſtructionis vrina apparet Alba. Reſpõdeo quod licet ſanguis optimus ſit, et ex mixtione huius optimi ſanguinis, vrina optime ſit colorata in venis, tamen ratione alicuius obſtructionis poteſt mingi alba, ex obſtuctione inquã vaſorum preſertim vrinas ſecernentium, ſic enim docet Gal. his verbis, Tenuis et Alba vrina interdum ſignificat obſtructionẽ Renum, quod conoſcitur ex dolore loci affecti: aut obſtructionem Epatis, ut in ijs qui quartana affligũtur groſſitie enim ſua malãcolici humores obſtruentes vias, ſolent huiuſmodi

lib. de vrinis cap. 5. Auic. 2. 1. doct. 3. cap. 2. 1. cant. tract. 2. text. 293.

modi urinas efficere, nam idem Galenus fatetur quod ubi vaſa per quæ educitur Vrina, preſertim Renes, aut Vreteres, fuerint obſtructi, tunc per illa educitur pars urinæ magis Tenuis, et aquoſa quæ Alba eſt, ſed ſanguis mixtus cum Vrina, cum ſit craſſior urina, non poteſt permeare, et pertranſire per anguſtiam illarũ partium, ideo educitur vrina aquoſa, Alba ſine colore, quia ſanguis ſeparatur ab vrina, et hac ratione in Nephritide vrina mingitur Alba: Quod ſi dicatis, et quomodo conoſcam ego, an vrina ſit Alba ex obſtructione, vel ex diminuta concoctione? 1. vſu pars cap. 6.

Reſpondeo hoc facile conoſci, quia ex dolore, et ex ſupreſſione vrinæ, conoſco Albã eſſe ab obſtructione: ſed vbi vrina ſit Alba, et libere, et ſine dolore mingitur, ſignum eſt hoc nõ eſſe ab obſtructione: Nota tamẽ quod in Nephritide vrina nõ ſolũ eſt Alba ex obſtructione, ſed etiam adiminuta cõcoctione, eo quia in ijs affectibus, ſemper fit imperfecta concoctio, ex qua generãtur crudi, lenti, et craſſi ſucci, qui obſtruentes partes per quas educitur Vrina, pariunt Vrinam Albam, que Alba eſt adiminuta concoctione,

et etiam

et etiam ab obſtructione, eo quia in illis morbis concoctio non eſt adeo abolita, et corrupta, vt vrina ſolum ratione corruptæ concoctionis omnino ſit alba, ſed licet cōcoctio ſit debilis, et ratione concoctionis vrina nō deberet in illis morbis excerni adeo alba, tamen ratione obſtructionis, excernitur omnino alba et prorſus Cruda.

Auic. 1. cant. trac. 2. tex. 293

Tertia cauſa cur vrina quandoque Alba excernatur, eſt ob potus magnitudinem: vbi enim quis plus iuſto, et immoderate bibat, preſertim aquam, quæ cum non ſit apta nutrire, degenerat in vrinam, et ſic generatur quoque multa et copioſa vrina, et in tali caſu, eſto quod, ſanguis optimus ſit, vrina tamen erit alba, quia tanta copia vrinæ, nō poteſt optime reddi Colorata à ſanguine moderato.

Auic. 2. 1. doct 3. cap 2. 1. cant. eo loco.

Quarta et vltima cauſa vt Vrina ſit Alba, eſt per admixtionem alicuius ſubſtantiæ Albæ, vbi enim cum vrina miſcetur ſanguis redditur Colorata, ſubruſa, flaua, et c. ita quoque ſi cum Vrina miſceatur aliqua ſubſtantia alba, tunc vrina mingitur alba, iſta tamē albedo nō eſt naturalis, ſed præter naturā: et quæ nam dicetis vos, eſt iſta ſubſtantia alba, quæ mixta cum vrina, reddit

illam

illam in colore albam? Reſpondeo quod eſt Triplex, aut pituita, aut pus, vel Tertio ex colliquatione alicuius partis, aut admixtione ſeminis, ut eſt in Gonorhea: Ex admixtione Puris vrina redditur alba, quoniam pus eſt album, conoſcimus autem albam eſſe ex admixtione puris, quoniam pus reſidet in fundo matulæ, cum fætore, cum pus fætidum ſit in ſuaue, et talis vrina alba, ſignificat vlcus in aliqua parte, per quam educitur Vrina, cum non poſſit eſſe pus ſine vlcere: redditur ſecundo Alba per admixtionē humoris Crudi, craſſi, et pituitoſi, hoc autem conoſcitur facillime ad ſenſum non eſſe pus, quia licet reſideat paulo poſt in fundo matulæ, tamen eſt ſine fætore.

Tertio ex Colliquatione alicuius partis noſtri corporis, quæ cum albæ ſint, ubi miſceantur cum vrina reddunt illam albam, iſta tamen Vrina alba ex colliquatione, nū quam fit niſi præceſſerit febris magna, valde intenſa, quæ potens ſit colliquare membra: Hic tamen unum notādum eſt, quod Vrina Alba ex admixtione alicuius ſubſtantiæ, ſemper erit craſſa, et ideo diſtinguitur ab vrina quæ ſit alba per diminutam concoctionem, aut ex obſtructione, vel ex nimio po-

mio potu, quoniam iſtæ fere ſemper ſunt Tenues.

Declarauimus hactenus cauſas omnes, cur Vrina ſit Alba, ſed cum vrina Alba ſit in multiplici differentia, ut chriſtallea, eo quia chriſtallo ſimilis ſit in colore. Aquea, aquæ ſimilis: Lactea, quoniam eſt Alba ſicuti lac, Glauca veluti cornu pellucida, eſt enim ſimilis cornu lanternæ exquiſitæ, mundæ, et nouæ, habet enim iſte color transparentiam, et albedinem ſub obſcuram. Charopus vero color eſt ſimilis Colori oculorum Leonis, vel pilis ſubalbidis Cameli, quem colorem Iſaac libro de Vrinis, et Gordonius lib. de Vrinis cap. 2. vocant cineritium: omnes iſti Colores in Vrina, ortum ducunt ab eiſdem cauſis ſecundum magis, et minus variantibus.

De differentijs, Cauſis, & Iudicijs Vrinæ Coloratæ. Cap. VIII.

VRina vero quæ in colore non ſit Alba, ſed Colorata, eſt in Duplici differentia, aut remiſſe, vel intenſe Colorata, Vrina que remiſſe dicitur Colorata, ſubdiuiditur

diuiditur in Quatuor differentias, nempe ſub ſpicea, ſpicea, ſub aurea, aurea: illa vero quæ Intenſe eſt Colorata, diuiditur in vndecim differentias pro vt eſt ſubcrocea, crocea, rufa, ſubrubea, rubea, vinea, paſſea, viridis, veneta, liuida, nigra. De quibus omnibus pertractandum eſt, et primo, quæ nam ſint cauſæ huius diuerſitatis, et harum differentiarum, Secundo quid ex eis poſſit Medicus præſagire.

Quoad primum ſi vrina à ſanguine habet colorem, ergo ſecundum diuerſitatem ſanguinis diuerſimode redditur Colorata, et ſicuti vbi ſanguis fuerit inconcoctus, imperfectus, ſeroſus, atque aquoſus, reddit vrinam nihil, aut parum Coloratam, ita quoque vbi chilus per concoctionē in Epate, receperit meliorem formam ſanguinis, ſic etiam iſte ſanguis mixtus cum Vrina, reddit vrinam magis, et minus Coloratam, ſecundum quod, et ſanguis magis, et minus concoquitur, et perficitur, et ſic apparet Vrina ſubſpicea, et poſtea ſpicea: dicitur enim ſubſpicea, quoniam iſte color fit ſi parum ſpicei humoris Aquæ inieceris, et ſi plus addideris, dicitur ſpicea, quod ſi adhuc Chilus magis concoquatur,

et per

& per concoctionem conuertatur in meliorem formam ſanguinis, tunc etiam iſte ſanguis erit magis Coloratus, quare et vrina mixta cum tali ſanguine, redditur etiam magis Colorata, et dicitur in colore ſubaurea, quaſi non puro auro ſit ſimilis: vel erit Aurea, ideſt ſimilis puro auro: ſed vbi ſanguis optimus fuerit, et chilus per optimam concoctionem conuerſus in optimum ſanguinem, cum color optimi ſanguinis ſit flauus, eo modo quo diximus ſupra, ideo vrina mixta cum optimo ſanguine, non redditur flaua, quia flauus color ſanguinis remittitur ab aquoſitate ipſius vrinæ, ideo Vrina optima, apparet in colore Aurea, ſubflaua, vt diximus, et ideo vbi apparet talis vrina ſignificat in venis reperiri optimum ſanguinem, et quia optimus ſanguis generatur ab optima concoctione, ideo eſt ſignum talis vrina perfectiſſimæ concoctionis, et cum optima concoctio fiat ab optimo calore, oſtendit etiam illa vrina, naturalem calorem in illo homine in quo excernitur illa optima vrina, optimum eſſe: Sed ſi ſanguis fuerit excalefactus plus iuſto, tunc per aduſtionem admittit proprium, et naturalem colorem flauum, et tunc primo fit magis flauus, ſecũdo ru-

do rubeus, et ſi adhuc magis concoquatur, et aduratur fit ſanguis in colore Cæruleus, viridis, liuidus, et per extremam aduſtionem redditur niger, qui quidē ſanguis mixtus cum vrina reddit illā eiuſdem coloris: ergo vbi vrina appareat in colore flaua, id eſt ignea, et veluti flamma, aut ſubrubea, id eſt bolo ſimilis, vel tertio Rubea, ſeu pumicea, ſic dicta, quia ſimilis pomis Rubeis, vt ſunt ceraſea: Quarto, vinea, id eſt ſimilis colori Epatis, & vino nigro: Quinto, paſſea, id eſt vino cocto ſimilis, hic autem color paſſus non multum à nigro diſtat, & eſt ſicuti color ceraſorum, qui ad nigredinem inclinat: ſexto viridis: ſeptimo veneta, id eſt fuſca, qui color ex puro albo, et nigro æqualiter confuſis gignitur: octauo Liuida, id eſt coloris Plumbei: nono Nigra. Omnes igitur iſtæ vrinæ, quæ intenſæ ſunt Coloratæ, ſignificant maſſimam ſanguinis aduſtionem, & excalefactionem, et naturalem calorem, non ſeruare propriam naturam, ſed intēdi plus iuſto, & mutari in alienam, & igneam naturam, magis, et minus, ſecundum quod et vrina magis, aut minus appareat ita intenſe Colorata: quod autem tſanguis dum magis concoquitur, et aduritur,

tur, diuerſos ſuſcipiat Colores: exẽplo ſit vobis, caro ipſa, quæ dũ aſſatur à caloreignis, diuerſos recipit colores, et ſecundũ ꝙ magis cõcoquitur, et aduritur, redditur etiã diuerſimode Colorata, et ex colore illius carnis conoſcimus an optime ſit aſſata, vel aduſta.

Sed pro maiori declaratione dicẽdũ eſt, primo de vrina Rubea, ſecundo de Liuida, tertio de nigra: de quibus omnibus cõſiderãdum erit primo, quomodo fiant, et quæ ſint eius cauſæ, ſecundo, quid ex illis medicus poſſit præſagire.

De vrina Rubea. Et Auic. 1. cant. tract. 2. tex. 295.

Quoad primum, ſecundum cõmunem opinionẽ talis Vrina redditur Rubea, per admixtionẽ Bilis Rubeæ. Bilem aũt iſtam Rubeã, ſæpe ſæpius ſe vidiſſe fatetur Actuarius lib. 1. de cauſis vrinarũ cap. 9. Secũdo, ſecũdum cõmunem opinionem redditur Rubea vrina, ſi cum ea miſceatur portio ſanguinis ſeroſa, aquoſa, & eſt ſanguis veluti lotura carnis, et ſicut eſt ille ſanguis Rudis, et imperfectus, qui reperitur in venis meſſaraicis, et in colore eſt veluti aqua tinta rubeo colore, ſed parũ: iſte ergo ſanguis incoctus, mixtus cum vrina, reddit illã Rubeam, cũ ſolus ſanguis inter humores ſit Rubeus, et iſtã eſſe

2. progn. com. 28.

ſententiam Gal. videatis eũ ſic loquentem cũ ſerũ ſanguinis ſimul cũ vrina elabitur,

apparet quidē ea ſubrubra, verū ſanguinē nō probe cōfectū redundare ſignificat, itaq; quod humor ille redundat, qui omniū optimus eſt, ideo talis vrina Rubea caret periculo, quia vero is humidior atq; ſeroſior eſt ob id cōcoqui debet. hæc Gal. alio etiam in loco ſic dicit: ſed de ſubrubētibus vrinis, et ſtatim habētibus ſubſidentiā ſubrubentē, ac læuē, recte dixit Hip. quod ſunt quidē ſatis ſalutares, ſed diuturniores ijs, quas paulo ante ſemicoctas nominaui: sāguinis enim ſeroſa ſuperfluitas, iſtas tingit, oportet aūt non modo hanc, ſed etiā aliquid rufæ Bilis admiſceri. Si vero calor naturalis adeo eſt imbecillis, vt neq; Rufam generet bilē, neq; ſanguinē exquiſite coctum, ſed adhuc ſero ſimilē, atq; humidū, quod quidē ad ſui coctionē tēpore egeat, eſt manifeſtū, quod vero hæc diſpoſitio ſine periculo ſit materiæ natura cōmoſtrat, et c. hæc Gal. quod etiā alibi clarius hoc idē oſtēdit dū dicit: ſedimētū Rubeū fit à copia cruoris, id eſt Sāguinis incocti, ſignificat autē coctionis defectū, nō aūt mortē, cū enim is ſuccus ſit benignus, et familiaris naturæ, nō infert magnū periculū, quia tamē indicat cruditatem faciet morbum longum.

I. de criſ. cap. 12. in fine

4. aph. com. 71.

lib. de Vrinis cap. 20. & cap. 4.

Gal. 6. epid. com. 5. lib. de atrabile cap. 2.

Notandum eſt tamen, quod per Rubram Bilem intelligit Gal. ſerum ſanguinis, &

partem ſanguinis tenuiorem, et humidiorẽ, qualem ſupra declarauimus.

Hic aliud notandum eſt, quod nos loquimur nũc de Rubea vrina, & nõ de Cruẽta, quæ quidem Cruenta vrina, ortum ducit, vbi in Renibus fracta fuerit aliqua vena, aut in veſica, vnde ille ſanguis optimus mixtus cum vrina reddit illam Cruentam, et non Rubeam, Rubea autem Vrina, vt communiter creditur, ſignificat ſanguinis diminute cocti abundantiam, et ideo ſignificat Cruditatem, et diminutum ſeu debilem Calorem.

Iſta communis opinio non eſt tuta, patitur enim grauiſſimas difficultates, et primo ſi vrina Rubea fit à debili Calore, & diminuta concoctione, ergo in omni diminuta, et imperfecta cõcoctione, Vrina apparet Rubea: conſequentia probatur, quoniã ſi per te iſta vrina Rubea, fit à ſanguine ſeroſo diminute cocto: Sed talis ſanguis generatur in diminuta, et imperfecta concoctione à debili calore: ergo ſi in omni imperfecta concoctione à remiſſo calore generatur ſanguis aquoſus, rudis, & imperfectus, iſte mixtus cum vrina ſemper reddit vrinam Rubeam: concoctio enim non dicitur diminuta,

nuta, et imperfecta, niſi reſpectu eius quod concoquitur, quia ſcilicet id quod concoquitur ſit diminute, et imperfecte coctum, ſed cum non ſit værum, quod in omni diminuta concoctione vrina ſit Rubea, ergo non ſit Rubea à debili concoctione, antecedens probatur, quia indiminuta concoctione à debili calore, vrina apparet, et mingitur Alba, vt diximus ſupra, ergo non Rubea, et preſertim cum Album, et Rubeum ſint fere vere contraria: quomodo ergo poſſumus dicere, ab eiſdem cauſis eandem vrinam fieri Rubeam, et Albam?

Secundo Vrina Rubea, ſignificat excedentem calorem, et aduſtionem ſanguinis, ergo non ſit à debili calore, et diminuta cõcoctione: antecedens probatur exemplo carnium, aquæ, et aliarum rerum, quæ iuxta ignem poſitæ, ſi adurantur, fiunt in colore flauæ, et citrinæ, ſi magis, fiunt Rubeæ, ſed ſi adhuc magis adurantur, fiunt nigræ: ita et flãma, et carbones, quia calidiſſimi ſunt, et aduruntur, apparent Rubei: confirmatur hoc idem quoniam partes noſtri corporis, vbi fuerint imflammatæ, fiunt Rubeæ, hoc autem nunquam contingit, ſi refrigerẽtur, ergo Rubedo eſt ab excedenti calore.

2. aph. com. 11. 12. meth. med. c. 4.

Tertio hoc idem docet Gal. quod Vina alba ſint Tenuia, et aquoſa, et parũ calida, ſed vina Rubea calidiora ſint: ergo Rubeũ eſt à calido magno.

Quarto ſi ſanguis aquoſus, et Tenuis, mixtus cũ vrina reddit illã Coloratam, et Rubeam, cur ergo negas vrinam habere colorẽ à ſanguine, dũ dicis vrinã reddi Coloratam non à ſanguine, ſed à ſola Bile? nulla enim eſt maior ratio, cur iſte ſanguis aquoſus aptus ſit Colorare vrinam, et non omnis ſanguis.

3. epid. com. 3. com. 70. 2. 1. doct. 3. cap. 2.

Sed videatis Gal. ſic loquentem: didiciſti namq; rubentem colorem calidum denotare temperamentum: et Auic. ſic dicit omnes autem colores vrinæ, qui ſunt poſt citrinum, caliditatem ſignificant, poſt iſtos vero gradus prædictos, exiſtunt gradus Rubedinis, et omnes ſanguinis dominium oſtendunt, et c,

Authoris opinio.

Dico igitur vrinam Rubeam fieri à ſanguine, licet enim ſanguis ſecundum propriã naturam, colore ſit flauior, vbi tamen iſte ſanguis fuerit excalefactus plus iuſto, tunc per aduſtionem fit Rubeus, quare mixtus cum Vrina reddit illam in colore Rubeam, & ideo Vrina Rubea ſignificat maximam

excalefactionem ſanguinis, & naturalem calorem mutari in igneam naturam, et augeri plus iuſto, et ſanguinem exiſtentem in venis, per aduſtionem recedere à proprio, & naturali temperamento, & ſi perperam hactenus omnes crediderunt: Et ſi dicatis, cur ergo in Hydrope, quæ eſt paſſio frigida, vrina mingitur Rubea, veluti lotura carnis. Reſpondet Auic. hoc fieri propter debilitatem Epatis, et ſuæ virtutis defectum, quæ non eſt apta ſeparare ſanguinem ab Vrina, vnde hac ratione vrina apparet Rubea: ſi dicas ſi Epar non poteſt ſeparare ſanguinem ab Vrina, hoc faciunt Renes: dicatis quod Epate plurimum debilitato, Renes etiam redduntur debiles. 2.1. doct. 3. cap. 2.

Si vero ſanguis magis incaleſcat, redditur in colore fuſcus, & ſimilis vino nigro: et reddit vrinam vineã: ſed ſi magis aduratur, fit magis niger, et reddit vrinã in colore paſſeã, vt diximus: quare omnes iſtæ Vrinæ, ſignificãt maximã excalefactionẽ, et aduſtionẽ ſanguinis, quæ quidẽ excalefactio, et aduſtio ſãguinis, fieri poteſt ex diuturno labore, nimio æſtu, et etiã à febre, valde intẽſa, et æſtuãte, ergo vbi exceſſerit calore, vt vrina uinea paſſea

fere

ſere ad igneam naturam cõuerſus adurat, tunc etiam vrina apparet diuerſi coloris, vt Rubea, Vinea, paſſea, et c. ſecundum quod magis, aut minus aduritur.

Gal. 1. de criſib. cap. 12. Viridis vero vrina quomodo fiat docet Gal. dum ſic dicit, Color Viridis fit in trãſitu ad nigrum, et quod dam veluti proemiũ nigri: ex quibus quidem verbis liquido cõſtat, quod cum Virides Vrinæ ſint in via ad nigredinem, et vt quam facillime fiant nigræ, ita quoque dicendum eſt Virides vrinas fieri per aduſtionem, ab adurenti calore, vel per refrigerationem: et ideo idem ſignificant quod Vrina vinea, paſſea, ſed tamen magis, quia ſignificat maiorem aduſtionem, et maiorem exceſſum caloris, et Auic. 2. 1. doct. 3. cap. 2. eſt perniciosa, et læthalis: quia tamen Auic. fatetur quod color viridis in vrina, ſignificat frigiditatem, ideo notandum eſt, quod Vrina Viridis diuiditur in Quinque differentias, primo eſt vrina viridis in colore ſimilis fiſtico, qui eſt fructus teſtam habens et nucleum ſimilem auellanæ. ſecundo eſt viridis ſicuti Eris, et dicitur æruginoſus, tertio ſimilis colori ireos, quarto indico, eſt indicum herba qua panni tinguntur blauco, vel perſico colore, quintus color Viridis

ridis

ridis ſimilis, porro et eius ſucco: ex his dicit Auic. quod omnes Virides Vrinæ, ſignificãt frigiditatem, et fieri per refrigerationẽ præter æruginoſum, et porraceum, qui fiunt per aduſtionem, vt etiam docet Auer. probatur experientia, quia color cutis à frigore in hieme vireſcit, ſed æruginoſus, et porraceus cum fiant à Bile, vel ſanguine æruginoſo, et porraceo, qui non generatur niſi per aduſtionem ab excedenti calore, ideo Vrina æruginoſa, et porracea ſignificat incendium, et maximam aduſtionem. 4. col. cap. 12

Liuida Vrina vnde fiat, videatis Gal. ſic loquentem. Color autem Liuidus, eſt tantum frigiditatis effectus; ſed difficile eſt videre quid ſit Vrina Liuida, niſi prius conſideremus quid ſit Vrina nigra, et quomodo fiat: dico igitur Vrinam non reddi nigram, niſi per admixtionem alicuius ſubſtantiæ nigræ, non ſecus ac aqua mixta cum atramento redditur nigra: Quæ nam igitur dicetis vos, eſt iſta ſubſtantia nigra mixta cum vrina reddens illam nigram? Reſpondeo ſecundum communem opinionem, vrinam fieri nigram, aut per admixtionẽ melancoliæ aduſtæ, Secundo Bilis aduſtæ, vel Tertio ſanguinis nigri: ſi ſit nigra à melan- 1. de criſ. cap. 12. vrina nigra.

colia

colia aduſta, hoc cognoſcitur ex habitudine corporis, quia iſta non apparet, niſi in melancolico aduſto, et habebit tumorem in liene: ſi vero fuerit nigra à Bile aduſta, hoc non erit niſi præcedenti febre validisſima, et quæ ortum ducat ab excedenti, et adurenti calore, et c.

Sed non laudo hanc ſententiam, eo quia ſi à melancolia, et Bile aduſta, vrina redderetur nigra, ergo in melancolicis, et valde melancolicis, et maniacis, in quibus melancolia, et Bilis aduruntur, et valde aduruntur, Vrinæ eſſent nigræ, quod tamen non eſt verum, hoc enim quotidie obſeruaui, et obſeruo, cum iam per ſex annos ſoleo hic Romæ curare melãcolicos, et maniacos, et mente captos degentes in proprio hoſpitali, et ta men in his nunquam vrinæ ſint nigræ, ſed Albæ, et coloratæ, ergo nigra vrina à melancolia, et Bile aduſta non redditur nigra.

Dicamus igitur à ſolo ſanguine vrinam fieri nigram, ſicut à ſolo ſanguine omnes recipit colores: et quomodo dicetis vos, vrina à ſanguine redditur nigra? Reſpondeo, quod ſicuti à ſanguine ſeroſo, et aquoſo, vrina redditur Alba, et ab optimo ſanguine redditur

ſubſta

ſubflaua: ita quoque à ſanguine nigro vrina fit nigra: ſanguis vero quomodo fiat niger hoc docet Galenus, dum dicit, nigram vrinam fieri ab excedenti, et adurenti calore, vel ab extrema frigiditate, ſicuti etiam et partes externæ noſtri corporis fiunt nigræ, à nimio calore igneo, et adurenti, vt quæ ſe ſoli expoſuerunt, aut à vehementi frigore, et veluti mortuæ, quemadmodum in ſenibus, aut quibuſcunque alijs ſupramodum refrigeratis: ipſarum itaque vrinarũ color niger fit, aut ab immoderato calore, aut à vehementi frigiditate mortificante, hæc Galenus, ita etiam et ſanguis fit niger, vel à frigiditate, vel ab excedenti caliditate, vt fatetur idem Galenus, dum dicit quarum nigras vrinas damnari certum eſt, ſi modo nigrum, vel vehementi frigiditate fiat, quomodo Sanguis in Grumos concretus, et quæcunque ſummæ refrigerata increunt, in atrum vertuntur; vel ab immodico calore, nam & ipſe quoque ſanguis exuſtus nigreſcit, æquæ, ac omnia alia corpora, quique in æſtiuo Sole moram diu traxere, nigri euadunt, hæc Gal. ex his dico, quod ſanguis per aduſtionem fit niger, ſicuti ligna, et carbones: ſed etiam à frigi-

1. de criſ. cap. 12. Auic. 2.1. doct. 3. cap. 2.

2. progn. com. 30.

tate

ditate immodica, et extrema, extinguitur calor ipſius ſanguinis, reſoluuntur ſpiritus, quibus quidem extinctis, et reſolutis, ſanguis remanet obſcurus, et niger, ſi enim claritas, et color ſanguinis eſt à calore, et ſpiritibus, non eſt ergo mirum, ſi vbi ſanguis eſt ſine illis, non amplius ſit Lucidus, nec ſplendens, ſed obſcurus, et niger, et ideo vbi calor naturalis ipſius ſanguinis extinguitur, et ſpiritus reſoluuntur, ſanguis, primo fit Viridis, ſecundo Liuidus, vltimo niger: extinguitur autem naturalis calor, non ſolum à frigiditate, ſed etiam à naturali, & febrili calore, vbi adeo fuerit auctus, vt omnino ſuperet naturalem calorem, vt alibi diximus: et ideo vbi vrina mixta fuerit in venis cum ſanguine nigro, ſtatim redditur nigra: quare vrina nigra, et Liuida, et Viridis, ſignificat extinctionem, et mortificationem naturalis caloris, et quoniam extinguitur calor, aut à frigiditate intenſa vel ab adurenti caliditate, ideo et nigra, Liuida, et viridis vrina ſignificant, aut maximam, et extremam aduſtionem ſanguinis, aut ſecundo maximam refrigerationē ſanguinis, et naturalem calorem ſanguinis extingui, et proximum eſſe extinctioni: et

lib. 2. de calore.

quoniam

quoniam vita conſiſtit in calore, ita quoq; mors eſt extinctio caloris, et cum iſtæ vrinæ virides, Liuidæ, et nigræ, ſignificent extinctionem caloris, ideo dicuntur læthales, et peſſimæ: vnde dicit Gal: Vrinæ nigræ, Virides, aut Liuidæ præter id quod Cruditatem habent ſunt etiam pernicioſæ: et paulo infra dicit Peſſima, igitur eſt omnis vrina denigrata adeo vt neminẽ unquam ſeruatum viderim ex ijs, qui talem vrinam minxerit: hoc idem alibi dicit ſic, Ngræ vrinæ tam per ſe, quam cum alijs, mortiferæ ſunt: et infra dicit vrinas nigras quo fuerint craſſiores tanto deteriores eſſe obſeruauimus: et com. 34. in omni ætate læthales ſunt vrinæ nigræ, et aquoſæ, verũ in ætatis flore inter pernicioſas primum locum tenẽt nigræ, in ætate autem puerili aquoſæ. hæc Gal. hic tamen Notandum eſt, quod iſtæ vrinæ nigræ ſunt peſſimæ, et læthales, dummodo non ſint à cauſa externa, vt ex comeſtione, et potu alicuius rei nigræ, aut ex ictu, nam et color niger ſit ex caſu, et percuſſione, ſicuti videmns ſanguinem contuſum ex percuſſione liueſcere, ac fieri nigrũ, qui mixtus cũ vrina reddit illã nigrã, et.c. quia hoc modo ſi ſint ab extrinſeca cauſa,

1. de criſ. cap. 12. Auic. 1. cãt. tract. 2. tex 306.

2. prog. com. 33.

non

non dicuntur læthales: ſi ergo dicetis vos, vrinæ nigræ ſunt peſſimæ, quia ſignificant extinctionem caloris, et calor extinguitur, aut à calido adurẽti, vel à frigiditate, quomodo ergo cognoſcam ego, an Vrina ſit nigra per aduſtionem, vel à frigido? hoc docet Gal. ſi enim vrinã nigram anteceſſerit Liuidus color, et poſtea ſubſequatur color niger, indicat fieri à frigiditate: et ratio eſt, vt dicit Galenus, primo de criſibus, cap. 12. quoniam color liuidus, eſt effectus frigiditatis. Si vero anteceſſit Croceus, & ſubſequatur niger, ſignum eſt fieri à caliditate: addatis vos, hoc etiam facile poſſe cognoſci ſenſu tactus, vbi enim æger ſentiat excedentem calorem, in internis partibus maximam ſitim, &c. ſimilia, quæ oſtendunt intenſum, atque adurentem calorem, ſi Vrina mingitur nigra, certum eſt fieri à caliditate adurente. Sed ſi contrarium contingat, et vniuerſum corpus frigidum ſit, dicatis nigram vrinam fieri à frigido mortificante, eo modo, quo diximus: ſimiliter, vt ibi docet Auic. vrina nigra per aduſtionem, habet hypoſtaſim diuulſam, et inæqualem, & illa vrina non eſt omnino nigra, ſed vergit ad colorem croceum citrinum,

lib. de Vrinis, cap. 23. Auic. 2.1. doct. 3. cap. 2. & 1. cant. tract. 2. Auuerr. 4. collig. cap. 22.

num, vel fuſcum, ſed ſi nigra fit à frigido, habet ſedimentum paucum, ſed vnitum, ac ſi eſſet ſiccum, quia ſicut frigidum condenſat, ita calidum diſſipat, et iſta Vrina eſt magis nigra.

Notandum eſt etiam, quod omnis vrina nigra eſt ſemper Craſſa, ſic dicit Galenus, impoſſibile eſt, vt vrina ſit nigra, et ſit tenuis, quoniam color niger fit quando ſanguis melancolicus, et niger, per vrinas purgatur, aut fit à frigiditate, aut à nimia ſanguinis aduſtione: hæc vero tria groſſitiem ſibi vendicant, vſtio enim exſiccat humiditatem ſanguinis, ideo ingroſſat, frigiditas vero, quia ingroſſat alimentum, etiam vrinam ingroſſat, & ſi quandoque Galenus appellat nigram Vrinam Tenuem, dicatis per Tenuem intelligere minus Craſſam. 2. prog. com. 33. lib. de Vrinis, cap. 10.

Hic tamen occurrit difficultas, ſi vrina eſt nigra per extinctionem caloris, et quare in morituris, et in omnibus febribus peſtilētibus in quibus extinguitur calor naturalis, vrina non eſt nigra, et tamen in his magna ex parte nō eſt nigra, immo optima.

Vltimo notandum eſt, quod quandoque (licet hoc rariſſime contingat) vrina nigra Auic. 2.1. doct. 3. cap. 2.

eſt Cri-

*eſt Critica, et Bona, et educitur à natura be
ne operante, per modum criſis, quando ſci-
licet concocta materia in vltima parte ſta-
tus, aut indeclinatione vniuerſali, educi-
tur per Vrinam humor peccans niger, fa-
ciens morbum, vt quandoque contingit in
fine quartanæ, et quandoque in puerperio,
et in ſupreſſione menſtruorum: pro vt di-*
3.epidc. *cit etiam Gal. in caſu mulieris auſteræ: et*
com.3. *colligitur etiã alibi, dũ dicit nigri humores*
4.aph. *ſi excernantur in declinatione morbi, con-*
com.. 22. *cocta materia, talis euacuatio eſt critica:
Auic. vero loco citato dicit, nigram Vrinã
fieri per modũ criſis, nõ ſolum in fine quar
tanarum, ſed ſecundo in purgatione mate-
rie ſpleneticarum egritudinum; tertio poſt
dolores chronicos dorſi et matricis à melãco
lia; quarto ex ſupreſſione menſtruorũ, inma
nia, et melancolia, ſexto ex ſupreſſione ſan
guinis hemoroidalis, ſeptimo vrina nigra
bona eſt in lapidibus, et egritudinibus Renũ
prouenientibus ex humoribus groſſis, iſta e-
nim vrina nigra, quæ accidit ex lapide Re-
nũ hoc modo fit quia dũ excernitur à ſubſtã
tia eorum, rumpit venas aliquas paruas, à
quibus emanat groſſus, et turbulentus hu-
mor, tingens nigredine vrinam: Notandum*

eſt tamen

tamen eſt, vt ibi docet Auic. quod Vrina nigra, quandoque eſt mala in ægritudinibus Renum, & veſicæ, quando ibi adeſt vehemens ardor, ſignificat enim cancrum in eis, vel vlcera maligna, & ideo cum tali vrina nigra, conſideranda ſunt alia ſigna, vt grauedinem, febrem, magnum dolorem, caſum appetitus, inquietudinem, vt tuto poſſimus præſagire ſalutem, aut mortem.

De differentijs, cauſis, & iudicijs vrinarum, ſecundum odorem. Cap. VIIII.

VRinam ſecundum odorem, diuiditur in duas differentias, eo quia, aut eſt Odorata, vel ſecundo ſine odore, ſi fuerit Odorata, adhuc ſubdiuiditur ſecũdum quod odor ipſius vrinæ, aut eſt bonus, aut malus: Vt igitur videamus qua nam ſint cauſæ harum differentiarum, conſiderãdum eſt primo, quæ nam ſit cauſa, vt vrina ſit Odorata, ſecundo, quomodo diuerſos, & varios ſuſcipiat odores, tertio, et vltimo, quid Medicus poſſit præſagire ex odore vrinæ.

Quoad primum dico, quod Vrina per ſe, et ſecundum ſui naturam, nullum habet o-

dorem, cum ſit aquea, et generetur ex aqua quæ bibitur, et ſumitur in iuſculis, et c. & cum aqua, ſecundum ſui naturam, nullum habeat odorem, ita quoque, et vrina, nullum habet per ſe odorem, ſed vbi vrina appareat odorata, hoc erit per accidens ab extrinſeco, et per admixtionem alicuius ſubstantiæ odoratæ: et ſicuti aqua, licet per ſe non ſit odorata, ſi tamen cum ea miſceatur ſubſtantia aliqua odorata, et boni odoris, redditur illa aqua optime odorata, ita quoque ſi cum eadem aqua miſceatur, res aliqua fœtida, aqua etiam apparet fœtida, idē contingit in vrina, quæ per admixtionē alicuius rei, mingitur odorata, aut fœtida, et quæ nā ſunt ea quæ miſcentur cum Vrina, et reddunt illam odoratam, aut fœtidam?

Reſpondeo quod Vrina ſit boni, aut mali odoris, aut eſt à cauſa interna, vel externa: cauſa externa eſt mala qualitas eorum quæ ſumuntur in cibo, & potu, eo quia ab externa cauſa redditur Vrina odorata, nēpe ex comeſtione rerum, boni, vel mali odoris, ſi quis enim cōmederit cæpas, et alia et c. ſimilia. quid mirum ſi vrina, et fæces fœtidæ excernantur, ſicuti ſi quis ſumpſerie terebinthum, faciet vrinam optime odoratam:

doratam: iſta igitur vrina fœtida, quæ talis ſit à cauſa externa non conſideratur à Medico.

Sed à cauſa interna, dupliciter Vrina redditur odorata, prout iſta cauſa interna, aut eſt ſenſibilis, et manifeſta, vel eſt inſenſibilis, et immanifeſta: à cauſa interna manifeſta vrina redditur fœtida, quoniam cum ea miſcetur ſanies, et pus, aut aliquid tale fœtidum, et iſta dicitur mala, prout ſignificat vlcus, et malam ſanitatem illarum partium, per quas educitur vrina, ſicuti et in Gonorhea vrina eſt fœtida, per admixtionem ſeminis: ſed ſi vrina, fœtida ſit, non tamen à cauſa externa, nec etiam ab interna ſenſibili, vt nec per admixtionem puris, nec ſeminis, aut aliarum rerum fœtidarum, quæ ſenſu apparent mixtæ cum vrina, tunc neceſſario ſequitur, vt ſit fœtida ab interna cauſa immanifeſta: quomodo autē hoc fiat, nunc erit declarandum.

Dico igitur quod ſi vrina ſuſcipiat odorē ab extrinſeco, per admixtionem alicuius ſubſtantiæ, ideo cum vrina mixta ſit in Venis cum humoribus, neceſſe eſt vt ab humoribus recipiat odorem, & ſi humores

optimi fuerint, vrina quoque mixta cum illis humoribus erit bene odorata, ſed ſi humores putridi ſint, & corupti, quoniam res putridæ, ac corruptæ, male olent, et fætent, non eſt mirum, ſi vrina mixta cum humoribus corruptis, et fætidis, mingatur fætida, et male olens: Ex hijs quæ hactenus diximus, colligatis primo, quod Vrina fætida, indicat, internam putredinem, id eſt ſignificat, humores exiſtẽtes in venis putridos eſſe, ac corruptos: et quomodo dicetis vos, humores putreſcunt, et corrumpuntur in venis? Reſpõdeo quod ſicuti concoctio fit à naturali calore, & humores per concoctionem à naturali calore redduntur ad benignum apti, vt poſſint nutrire, & conuerti in ſubſtantiam viuentis, ita quoque ſi humores fuerint euicti, et ſuperati à calore præter naturam, et calor naturalis eorum extinguatur, et ſpiritus reſoluantur, tunc actu putreſcunt, vt alibi declarauimus, putrefactio enim fit à calore non naturali ſuperante, et vincente, et ideo humores exiſtentes in venis, dũ ſunt in proprio loco, à naturali calore, et ſpiritibus conſeruantur ſecundũ naturam: Sed vbi ſpiritus, et naturalis calor humorum, fuerit euictus à calore nõ naturali,

lib. 2. de concoct.

turali, ſed vbi ſpiritus, et naturalis calor humorum, fuerit euictus à calore non naturali, tunc non eſt mirum, ſi humores putreſcant: quare ſecundo colligatis Vrinam fœtidam, ſignificare extinctionem, et mortificationem naturalis caloris, et ſpirituum, et maximam cruditatem humorum, eo quia ſignificat humores non concoqui à natura, ſi enim concoquerentur non putreſcerent, ſed reducerentur ad benignum, et fierent optimi: quare Gal. dicit, quod odor grauis in vrina putrefactionis, eſt ſignũ ideo ſunt læthales ſignificant enim futuram mortem, et Hipo. ſic loquitur, præcipue autẽ mortifera eſt vrina mali odoris: Nota tamen ex Auic. quod ſi in acutis morbis vrina educatur fœtida, et poſtea derepente excernatur ſine odore, et tamen æger non melius ſe habeat, eſt ſignum læthale, ſignificat enim extinctionem caloris natiui, et caſum virtutis: occurrit hic tamen Difficultas, ſi ab humoribus putridis, educitur vrina fœtida, ergo in omni febre putrida, vrinæ eſſent fœtidæ, ſi dicas non in omni febre putrida, humores putreſcunt in venis, quia in intermittentibus putreſcunt extra venas, ideo in eis nunquam vrinæ ſunt fœtidæ: ergo

2. prog. com. 23. 1. de criſ. cap. 12. lib. de Vrinis, cap. 31. Et Auic. 1. cant. tract. 2. tex. 317. 2. prog. com. 33. Auic. 2. 1. doct. 3. cap. 4.

ſaltim in febribus omnibus cõtinuis, in quibus humores putreſcunt in venis, vrina ſemper mingeretur fœtida, & tamen hoc non eſt verum, quia rariſſime vrina eſt fœtida. Reſpondeo quod non ex quacunque putredine, nec ex omnium humorum putrefactione, vrina fit fœtida, niſi magna fuerit, & ideo licet in omnibus febribus, quæ communiter putridæ appellantur, humores putreſcant, cum tamen ſolum in peſtilentibus, maxima ſit humorum corruptio, & putrefactio, ita quoque ſolum in peſtilentibus febribus, vrinæ fœtidæ excernuntur, ſicuti nec ex quacunque re fœtida Aqua redditur male olens, niſi illud quod mixtum fuerit cum Aqua, ſit valde fœtidum, & corruptum.

Auctoris opinio.

Quid ſi dicamus, febres ſalubres, vulgo putridas dictas (vt quotidiana, tertiana, quartana, & ſinocha) ex humorum præter naturali excalefactione tantum, & non ex corumdem putredine ortas eſſe? Quid etiam ſi fateamur febres omnes putridas eſſe peſtilentes? Licet enim Galenus & cõmunis ſchola Medicorum contrarium ſentiant, mea tamen opinio videtur vera, quia in hoc diſtinguitur febris tertiana peſtilens,

ſtilens, à non peſtilenti, quod in peſtilenti humores putreſcunt, in non peſtilenti ſunt tantum à calore febrili excalefacti plus iuſto: Licet communis opinio concedat, in vtriſque putreſcere ſecundum magis, & minus: ſed hoc non videtur verum in febribus ſalubribus, humores actu putreſcere, eo quia in illis non fiunt ſimptomata, & accidentia, quæ ſequi ſolent putredinem humorum: Docet enim experientia, quod vbi in aliqua parte noſtri corporis quantum vis extrema, & longinqua à corde, vt in pede, vel in extremo digito, oriatur, & fiat aliquis affectus putridus, vt Cancrena, et c. ſtatim fiunt Seuiſſima accidentia, virtus vitalis ſuccumbit, pulſus in equales, totum corpus refrigeratur, et c.

Quanto ergo maiora, & deteriora fierent accidentia in quacunque febre putrida ſalubri, ſi ſemper in ea humores putreſcerent in venis? ſemper virtus vitalis languida eſſet pulſus in equales, & c. cum tamen non fiant iſta accidentia, ſed omnia ſint mitiſſima, & quieta, dicendum ergo ibi humores non putreſcere, ſed tantum incaleſcunt à calore non naturali:

vbi vero poſtea putreſcant, ſtatim illa febris ſit peſtilẽs: ſed de hijs alibi pertractauimus: ex hijs dicatis quod vrina fœtida non apparet, niſi in febribus peſtilentibus, eo quia in illis ſolum humores putreſcunt.

Sed ſi Vrina non habeat malum odorẽ, ſignificat factam fuiſſe optimam concoctionem, et optimum ſanguinem reperiri in venis, quare et vrina mixta cum ſanguine optimo, erit optima in odore, et eſto quod ſanguis ſit Crudus, dummodo tamen non ſit corruptus, vrina ſemper erit bene odorata: Colligatis hic vnum, quod ex odore Vrinæ, non poſſumus cognoſcere Cruditatẽ, ſed ſolam putrefactionem, quoniam in principio febrium, morbus, et humores ſunt Crudi, et tamen vrina eſt bene odorata: ſi dicas, quod ex Cruditate, et indigeſtione ciborum vrina excernitur fœtida, quod patet qui enim cruditatibus ventriculi laborant ora male olere: dicatis experientiam contrarium docere, quod vrina in his non fœtet ex ſola Cruditate alimentorum, quia ſi hoc eſſet, ergo ſemper ante cibi digeſtionem, os appareret fœtidum, quod tamen eſt falſum; dicendum eſt igitur fœtorem oris, pendere non à Cruditate, ſed à putrefactione.

Vltimo

Vltimo notandum eſt, quod vrina optima habet aliquem odorem non ingratum, quare vbi prorſus ſine odore mingatur, eſt ſignum Cruditatis, ſignificat nullam recepiſſe alterationem, nec concoctionem, ſed eamdem, aquam eodem modo, quo fuit aſſumpta, nunc excerni, ſicuti et aquæ thermales minguntur eodem modo, quo fuerunt aſſumptæ ſine vllo odore, eo quia à natura non ſunt alteratæ: quare vrina ratione coctionis aliquem recipit odorem, cum ſit permixta cum Chilo, et cum humoribus: ſed vbi prorſus fuerit ſine vllo odore, ſignificat ſuperfluam Cruditatem, et extinctionem naturalis caloris, et ideo in morbis acutis eſt ſignum læthale.

Auic. 2. 1 doct. 3. cap. 4. 1. cant. tract. 2. tex. 316.

De differentijs, Cauſis: & Iudicijs Vrinarum, ſecundum Quantitatem Cap. X.

QVarto loco conſideranda eſt à Medico Quãtitas ipſius vrinæ, ratione cuius, Vrina diuiditur in tres differentias, eo quia, aut eſt multa, vel pauca, aut tertio moderata: et ſicuti vrina illa dicitur optima

in quan-

2. prog. com. 14. *in quantitate, quæ proportione correſpondet cibo, et potui aſſumpto, vt docet Hipo. et talis eſt moderata, ſi vero excedat, et mingatur in maiori quantitate quam par ſit, au ſecundo non excernatur indebita, et conuenienti quantitate, talis vrina dicitur mala, de quibus omnibus nunc nobis agendum erit: et primo de vrina Multa: ſecundo de pauca: conſiderando primo loco cauſas harum differentiarum, ſecundo quid ex illis Medicus poſſit præſagire.*

Quoad primum, cauſa cur quandoque Vrina excernitur plus iuſto, et in excedenti quãtitate eſt duplex, Externa, et Interna: cauſa externa, vt ſi quis bibat pluſquã par ſit, preſertim aquã, aut vinũ tenuiſſimum, et aquoſum, aut ſumpſerit alimenta valde humida, et aquoſa, et iuſcula in maxima quãtitate, quid mirum ſi in tali caſu vrina educatur in maxima, et ſuperflua quantitate? ſecundo Diuretica, et ea omnia, quæ habent vim prouocandi vrinam, dicuntur cauſa externa multitudinis, & copioſæ vrinæ, eo quia, et ſua caliditate, multam vrinam attrahunt, et etiam ſuarum partium ſubtilitate, incidendo, extenuando Craſſitiem humorum, vrinam prouocant: licet magna

ex parte

ex parte, et vt plurimum Diuretica omnia, vrinam prouocant ſua quadam proprietate, humores attenuando, multitudinem vrinæ producunt.

Cauſa vero Interna multitudinis vrinæ, eſt multiplex, prima eſt multitudo humoris Crudi, et Pituitoſi, qui quidem vbi fuerint excalefacti, generant maximam copiam vrinæ: ſed quomodo hoc fiat dignisſimum eſt ſcitu: dico igitur, quod cũ Duplex ſit calor, vt Naturalis, et præter naturã, ita ab vtroq; calore, iſti crudi ſucci, et pituitoſi poſſunt alterari, et concoqui: quare ſi in Socrate reperiatur maxima copia horum Crudorum humorum, & iſti à naturali calore concoquantur, et per concoctionem reducantur ad benignum, tunc partes humidiores, ſubtiliores & aquoſæ horum Crudorum humorum, cum ſint inepte ad concoctionem, veluti excrementa ſeparantur, & excernuntur per vrinam, & reddunt illam copioſam, et multam, quare iſta Vrina, quæ hoc modo multa excernitur, fit ſemper apparentibus ſignis optimæ concoctionis, eo quia fit Concocta illa materia Craſſa, quæ potuit concoqui à naturali calore, & poſt eius concoctionem ſeparantur

Gal. 4. aph. com. 74. 3. epid. com3. tex. com. 41. Iſaac ¦ lib. de Vrinis. part. 5.

partes

partes humidiores, et aquoſæ, quæ augent vrinam, et reddunt illam copioſam, et iſta vrina multa optima eſt, quia ſit à natura optime operante, per modum criſis, eo quia per vrinam euacuantur humores peccantes, concocta materia: et ideo ſi in Socrate laborante copia Crudorum, et Craſſorum humorum, apparentibus ſignis perfectiſſimæ concoctionis, excernatur vrina multa: tunc Medicus iudicat multitudinem vrinæ optimam eſſe, et criticam, et morbum ſolui: et Gal. loco citato fatetur multos vidiſſe ſanatos, et optime iudicatos, multitudine vrinæ.

3. epid. com. 3. 41.

Sed ſi illi Craſſi, et pituitoſi humores, incaleſcant à calore non naturali, tunc liquefacta pituita auget vrinam, et iſta vrina multa eſt ſimptomatica, et mala, quia ſit à natura male operante: ſic docet Hipo. his verbis multum vrinæ emittitur, vbi caput nimium incaluerit: liqueſcit in eo Pituita liqueſcens autem ſecedit partim ad nares, partim ad os, partim ad venas, quæ ducunt ad pudendum, cum autem ad pudendum peruenerit, mingit homo, et patitur, quemadmodum ab vrinæ ſtillicidio: hæc Hipo. et iſta copia vrinæ ſemper ſit materia exiſtente Cruda, ideo dicitur ſimptomatica, & ma-

2. de morbis cap. 1.

et mala, et ortum ducit non ſolum ab humoribus pituitoſis exiſtentibus in capite, ſed etiam in venis, vbi nempe ſanguis fuerit pituitoſus, id eſt Craſſus, et viſcidus.

Secunda cauſa Interna copioſæ vrinæ, eſt Caliditas membrorum vrinalium, preſertim Renum, vbi enim Renes excalefacti fuerint: plus iuſto, tunc per venas emulgētes, atrahunt omnem aquoſitatem vrinalem exiſtentem cum ſanguine, et ideeo vrina educitur in maxima copia, quoniam proprium calidi eſt atrahere: huius etiam cauſæ meminit Gal. primo de criſib. cap. 12 conoſcitur autem iſta copioſa vrina, fieri à Caliditate Renum, ex Propriis ſignis, quæ oſtendunt ipſorum caliditatem, ſicuti etiam contingit profluuium vrinæ in Diabete, eo quia tunc facultas attractiua Renum, ob maximam caliditatem læſa eſt, ſicuti etiam læditur facultas retētrix eorum, vt docet Gal.

Paulus lib. 3. cap. 45. Alexāder Trallia. lib. 9. cap. 8.

1. de criſ cap. 12. 6. de locis aff. cap. 2. Iſaac eo loco.

Tertia cauſa Interna, poteſt eſſe colliquatio totius corporis, ex qua quidē colliquatione, augetur vrina, et redditur multa: hoc autem cognoſcitur ex colore, quoniam ſi vrina multa exierit, quæ fuerit valde colorata, vt flammea, aut Crocea, vel Rubea, dicatis fieri ex colliquatione, preſertim nō appa-

Auic. 2. 1. doct. 3. cap. 7. Iſaac. lib. de Vrinis, part. 5.

apparentibus ſignis cõcoctionis, ideo eſt mala: et læthalis, eo quia colliquantur pinguedines, carnes, aut humores: hoc autem contingere ſolet in febribus ardentibus: ſicuti ſecundo cognoſcitur multitudo vrinæ ex colliquatione, eo quia eſt cum aliquali vnctuoſitate, mingitur enim multa, ſed pinguis, et virtus redditur languida, quia colliquatur, et euacuatur naturalis humiditas membrorum: ſed ſicut dicit Auicenna: ſi vrina ſit multa ex colliquatione ſuperfluitatum, quæ malæ, ſint, virtus non redditur debilis, cum euacuatur, id quod eſt in vtile: quare multitudo Vrinæ in Morbis acutis ſine alleuiatione, ſignificat Ethicam febrem, & ſpaſmum de inanitione, ex inflammatione, quia fit ex liquefactione membrorum, ab incendio febris, vt dicit Auic.

Quarta cauſa eſt ſiccitas ventris, dum ſic dicit Hipo. Mictus noctu plurimus, paruam deiectionem ſignificat, quomodo vero intelligenda ſit ſententia Hipocratis alibi decarauimus, pro nunc hoc ſolum ſit ſatis, quod vbi aluus fuerit immodice adſtricta, Vrinæ excernuntur copioſe, et ratio eſt quoniam cum excrementa non poſſint educi per ſeceſſum, partes eius humidiores, & tenuiores,

Hipo. 4. aph. 83.

4. aph. com. 83.

tenuiores, deferuntur ad vias vrinarias, et ſic vrina redditur copioſa: et quod feces per vrinam poſſint educi, videatis Ari. qui dicit Vaccam quandam fuiſſe, cuius anus cum eſſet clauſus, feces ſiccæ inflatus conuertebantur, & per Vrinam excernebantur. Ari. 4. gen. anim. cap. 4.

Vrina autem mingitur in pauca quantitate duplici de cauſa, aut à cauſa externa, vel ab interna: ab externa, vt à ſiccitate ciborum, à paucitate potus, ab exercitio vehementi, atque à cæteris, quæ corpus exſiccant: et ſicuti vrinæ, quæ copioſæ ſunt, vel paucæ à cauſa externa, à Medico parum conſiderantur: ita quoque ſi tales fuerint ab interna cauſa, ſunt maxime conſiderationis.

Vrina autem pauca eſt in duplici differentia, quoniam aut nihil mingitur, aut ſecundo parum, cauſa vero interna harum differentiarū eſt multiplex. Prima eſt Obſtructio, vbi enim Vaſa vrinalia, vt Renes Vreteres, Veſica, et c. per quas partes educitur vrina, fuerint obſtructæ, tunc, aut nulla, aut valde pauca redditur Vrina, licet multa reperiatur in Venis mixta cum ſanguine, & quænam ſunt ea, dicetis

vos, quæ apta ſint obſtruere illas partes, et prohibere exitum ipſius Vrinæ? Reſpondeo, quod iſta ſunt in duplici differentia, aut primo humores Craſſi, Viſcidi, et Lenti, qui obſtruendo illos Meatus, prohibent exitum vrinæ: aut ſecundo ſunt calculi, aut lapis in Renibus, vel in veſica à quibus prohibetur Vrina: conoſcitur autem an vrina fuerit retenta ex obſtructione, et an à Craſſitie humorum, vel à calculo, et lapide, proprÿs ſignis, quæ hoc loco recenſere non eſt ad propoſitum: ſed vrina ſemper in tali caſu vbi meatus illi ſint obſtructi ab humoribus Craſſis, Vrina erit pauca, et Craſſa, ſi à lapide, vel à calculo, pauca, et Craſſa, vel arenoſa: ſed ſi illi meatus fuerint propria natura adſtricti, et anguſt i, et non à calculo, nec ab humore Craſſo, tunc cognoſcitur, quia Vrina erit pauca, et Tenuis.

Iſaac lib. de Vrinis, parte 5.

Secunda cauſa, vt vrina, aut nihil, aut parum excernatur, eſt ob vehementiam, et exceſſum caloris, vt quandoque contingit in febre vehementiſſima, eo quia à forti calore conſumitur, et exſiccatur aquoſitas Vrinalis: hoc autem conoſcitur proprÿs ſignis indicantibus exceſſum caloris.

Tertia cauſa: Alui profluuium, ob multam

multã enim et copioſam ventris euacuatio- 4. aph. 83.
nem, educitur vrina in pauca quantitate, Auic. 2. 1.
eo quia natura omnia excrementa, et etiam doct. 3 c. 7
vrinam euacuat per ſeceſſum: ſicuti etiam
vbi ſudor fuerit valde copioſus, vrina ex-
cernitur in pauca quantitate, cum eadem
ſit materia vrinæ, & ſudoris.

Gal. 10. ſimp. med. cap. de ſudore

Quarta, quandoque vrina excernitur in pauca copia, ob debilitatem facultatis expultricis Renum, aut Vaſorum vrinalium, cuius facultatis læſionis cauſa eſſe poteſt, vel mala intemperies illarum partium, vel aliquis morbus inſtrumentalis, vel ob debilitatem atractiue Renum, aut Veſicæ, quæ cũ non ſit apta ſegregare acquoſitatem vrinalem à ſanguine, et illam attrahere, tunc vrina mingitur in pauca copia.

Auic. 2. 1. doct. 3. c. 7 Iſaac loco citato.

Nota tamen quod Auic. dicit quod Vrina, quæ guttatim, et inuoluntarie mingitur in morbis acutis, ſignificat nocumentum in Cerebro, quod communicatur neruis, et muſculis ſolitis ab eo recipere virtutem, hoc autem nocumentum eſt deſipientia, et mentis alienatio: quomodo vero hoc fiat non docet Auic. Sed ratio talis eſſe poteſt, quoniam ſicuti vrina guttatim in veſicam reſudat, ſic ab ea illico guttatim deſluit, muſculo, qui

loco citato.

præiacet collo veſicæ gratia retentionis, ceſſante penitus ab opere retentionis ob alienationem, et defectum motiue imperantis, ſine cuius directione, muſculi non exeunt in proprios actus.

Secundo dicit Auic. quod ſi vrina guttatim, et inuoluntarie exeat, et febris quieta fuerit, et ſigna ſalutis apparuerint, prognoſticat fluxum ſanguinis, è naribus venturũ: et ratio huius talis forſan eſſe poteſt, quod cum vrina guttatim, et inuoluntarie micta, ſignificat mentis alienationem, ex raptu materie ſurſum, et quia febris non eſt magna, et adſunt ſigna ſalutis, ſignificatur aliqua Critica euacuatio circa ſuperiores partes ventura: non eſt autem illic facilior, nec aptior quam per fluxum ſanguinis narium.

Iacob⁹ de partibus.

DE

DE DIFFERENTIIS, CAVSIS, ET IVDICIIS VRINARVM

LIBER SECVNDVS

SALVSTIO SALVIANO Romano Medico Auctore.

PErtractauimus hactenus de ſubſtantia, colore, odore, et quãtitate ipſius vrinæ: nunc igitur reliquum eſt pertractare de Hypoſtaſi, et de eiſq; continentur in vrina, quod mihi agendum erit in iſto ſecundo libro : de qua quidẽ Quinq; veniunt conſideranda, primo quotuplex ſit, Secundo quid ſit, tertio, quot ſint differẽtiæ vrinæ, ſecundũ Hypoſtaſim, quarto quænã ſint cauſæ harũ differentiarũ : quinto, et vltimo, quid Medicus ex illis poſſit præſagirre.

Quoad primum quæſitum, dico quod ea, quæ continentur, et reſident in vrina, ſunt in Duplici differentia, aut primo ſunt

naturalia, vel præter naturam: contenta in vrina ſecundum naturam, dicitur Hypoſtaſis: ſed contenta præter naturam ſunt in triplici differentia ſecundum diuerſitatem ſitus, eo quia aut reſident in fundo, et dicuntur ſedimenta, aut ſuſpēſa ſunt in media regione, & appellantur ab Hipo. Enoeoremata, id eſt ſuſpenſa, vel tertio continentur in ſuperficie ipſius vrinæ, et iſta adhuc ſunt in triplici differētia, eo quia aut eſt ſpuma, vel ſecundo corona, aut circulus, tertio pinguedo: De quibus omnibus nobis agendum eſt, et primo de Hypoſtaſi.

lib. 1. de concoctione, cap. 11 lib. 2. cap. 16.

Hypoſtaſis autem, vt alibi declarauimus, eſt excrementum craſſum tertiæ concoctionis, quod generatur in nutritione venæ cauæ, vena enim caua (ſicuti et cæteræ partes) nutritur ſanguine, et per concoctionem illum conuertit in ſui ſubſtantiam, ſed partes craſſiores illius ſanguinis, cū ob ſui craſſitiem ſint inepte ad concoctionem, nec poſſint aſſimilari venæ cauæ, aſſimilātur quantum poſſunt in colore, et craſſitie, et cum vena caua, Alba ſit, et craſſa, ideo et iſtæ partes ſanguinis craſſiores, per concoctionem redduntur Albæ, et craſſæ et iſta eſt Hypoſtaſis, tam in ſanis, quam in ægris, vt alibi

loco citato.

libi longe, & clarius demonſtrauimus.

De ſubſtantia, ſitu, colore, odore, & quantitate optimę Hypoſtaſis. Cap. II.

IN Hypoſtaſi naturali, Quinq; veniunt à Medico cõſideranda, primo ſitum, ſecundo ſubſtantiam, tertio colorem, quarto odorem, quinto et vltimo quantitatem.

Quoad ſitum, Hypoſtaſis eſt in triplici differentia, prout vel apparet in ſuperficie ipſius Vrinæ, veluti nubes, aut ſuſpenſa in medio, vel in fundo matulæ: Hypoſtaſis optima, et ſecundum ſui naturam, cum ſit excrementum craſſum, et ſua natura graue, deſcendit ad infimam partẽ, et reſidet quaſi in fundo matulæ: Quod ſi quandoque aſcendat, hcc eſt per accidens: & quæ nam eſt ratio dicetis vos, vt aliquãdo naturalis Hypoſtaſis aſcendat, et appareat inſuperficie?

Reſpondeo quod eſt flatus mixtus cum Hypoſtaſi, et quomodo Hypoſtaſis flatuoſa aſcendit vſque ad ſuperficiem ipſius Vrinæ? Reſpondeo, quod vapor ille flatuoſus mixtus cũ Hypoſtaſi, illam eleuat, et facit illam aſcendere, quod ſi flatus multus fuerit eleuatur, et

aſcendit vſque ad ſuperficiem, ſed ſi flatus fuerit paucus, cum non potens ſit eleuare Hypoſtaſim vſque ad ſuperficiem vrinæ, aſcendit vſque ad mediam partem, ſic docet Gal. quod enim leue eſt de ſui natura ſurſum aſcendit, cum ergo Hypoſtaſis fuerit vaporoſa, aerea, et flatuoſa, facta eſt etiam valde leuis, ideo non eſt mirũ ſi ſurſum aſcendat.

2. progn. com. 37. Auic. 1. cant. tract. 2. tex. 308

Colligo igitur ex hÿs, quod vbi Hypoſtaſis appareat in ſuperficie, vel ſuſpenſa in media vrina, ſignificat ibi adeſſe maximam copiam flatus, ratione cuius aſcendit, et quoniam flatus generatur in diminuta cõcoctione, à debili calore, vt docet Gal. cum Crudi humores ab imbecillo calore inflatum attolũtur, ideo iſta Hypoſtaſis ſignificat debilem eſſe naturalem calorem venarum, et diminutam concoctionem, cũ enim ſanguis exiſtẽs in vena caua, non optime concoquatur, nec poſſit à debili calore, per concoctionem optime tranſmutari in ſubſtantiam ipſius venæ cauæ, ita quoque, et craſſum excrementum illius concoctionis, remanet diminute concoctum, et flatuoſum, et valde leue, ideo apparet mixtum cum vrina in ſuperficie.

Gal. 3. de ſimpt. cauſ cap. 11.

Sed vbi Hypoſtaſis reſideat fere in fundo matulæ, ſignificat totum flatum eſſe reſolutum,

lutum, et cum flatus generatur à debili calore, indiminuta concoctione, ita quoq; à fortiori calore, reſoluitur flatus, ideo vbi Hypoſtaſis appareat in fundo, octendit naturalem calorem optimum eſſe, et validiſſimum, et ex conſequẽti ab optimo calore, factam fuiſſe optimam concoctionem: hinc notate quod ſi à principio Hypoſtaſis appareat in ſuperficie, deinde tractu temporis deſcendat ad mediam regionem vrinæ, hoc eſt optimum ſignum indicat enim flatum diſcuti, et reſolui à validiori calore, et meliorem fieri concoctionẽ, et quo magis ſanguis concoquitur, eo magis reſoluitur flatus, et Hypoſtaſis cum de ſui natura ſit grauis, deſcendit ad infimam partẽ: Colligatis vltimo, quod ad hoc vt Hypoſtaſis optima ſit, non eſt neceſſarium, vt reſideat in fundo matulæ, quia tunc ob ſuam craſſitiem, et grauitatẽ dicitur potius ſedimẽtum, quã Hypoſtaſis: ſed debet infra mediũ ſuſpenſa apparere, adeo vt infra eam ſint aliæ partes vrinæ, et hac ratione ab Hpo.: dicitur læuis: hæc autem Hypoſtaſis ſecundum figuram debet eſſe Pyramidalis, aut veluti Pinea, et ratio eſt quoniam hæc figura, oſtendit proportionem æqualitatum omnium ſuarum partium, in grauitate, et leuitate, & Auuer. 4. collig. c. 24

quia actio caloris in hac forma dominatur, et etiam naturaliter grauia extenduntur, et dilatantur, ſed læuia in ſe ipſis agregantur, et petunt aſcenſum, quouſque acuantur, ſicut accidit flammæ ignis.

Perfectiſſima Hypoſtaſis, quæ apparet in ſano homine, et in optima vrina, vt docet Hypo. eſt Alba, Læuis, et Aequalis: pro cuius rei intelligentia ſciendū eſt primo quod cum Hypoſtaſis ſit excremētum craſſum tertiæ cōcoctionis, nempe pars aliqua ipſius ſanguinis, quæ cum ob ſui craſſitiem non poſſit per concoctionem conuerti in ſubſtantiam venæ cauæ, concoquitur tamen, conuertitur et aſſimilatur quantum poteſt, et cum non poſſit omnino aſſimilari in ſubſtantiam, aſſimilatur quantum poteſt in colore, et craſſitie ipſi venæ cauæ, et quoniam ſubſtantia venæ cauæ eſt Alba, et craſſa, ita quoque iſta portio ſanguinis per iſtam concoctionem, redditur Alba, et Craſſa, et cum ſit excrementum in vtile ad nutritionem, illud natura expellit, et quoniam in infima parte venæ cauæ, reſidet vrina, quæ poſtea per venas æmulgentes attrahitur à Renibus, ideo natura ſimul cum vrina miſcet iſtud excrementum craſſum, et Album, et ſimul cum

2. progn. 27. Gal. 1. de diff. feb. cap. 8. 1. de criſ. cap. 12. Auic. 2. 1. doct. 3. cap. 6. Raſiſ. 10. ad Almanſ. cap. de vrina. Auuerr. 4. collig. cap. 24.

ea min-

ea mingitur, et apparet fere in fundo matulæ, et dicitur Hypoſtaſis, et hac ratione apparet Alba, quia alteratur, et concoquitur eo meliori modo, quo poteſt, à ſubſtantiâ venæ cauæ, quæ eſt Alba: et ſi dicatis, ergo ſi Hypoſtaſis ſit hoc modo à vena caua, quæ Alba eſt, omnis Hypoſtaſis erit ſemper Alba, quod tamen non eſt verum, cum quandoque appareat Rubea, Liuida, vel nigra? Reſpondeo quod ad hoc, vt Hypoſtaſis optima ſit, et alba, duo principaliter requiruntur, primum vt materia, nempe ſanguis, ex quo generatur optimus ſit, et ſecundum naturam, ſecundum ex parte efficientis, ſcilicet naturalis facultas ipſius venæ cauæ, valida ſit et potens poſſe optime concoquere, et alterare, et immutare ſanguinem, ex quo generatur Hypoſtaſis: vbi ergo iſta duo bene ſe habent, et ſecundum naturam ſemper Hypoſtaſis erit Alba, ſed ſi ſanguis malus fuerit, et recedat à proprio temperamento, et calor debilis, vel auctus plus iuſto, tunc Hypoſtaſis non erit Alba, ſed alterius coloris, et mala, vt dicemus infra loco ſuo.

Quoad ſubſtantiam, Hypoſtaſis debet eſſe læuis, æqualis: Læuis, id eſt continua, ſeu vnita: illa igitur dicitur Hypoſtaſis læ-

uis, cu

uis, cuius omnes partes inuicem ſunt ſimul vnitæ, et continue, veluti vnum corpus cōtinuum, ſic docet Aætius lib. 5. cap. 28. ſicut ill a Hypoſtaſis quæ fuerit diuulſa, et cuius partes non ſint inuicem vnitæ, et continuæ, ſed diſgregatæ, et ſeparatæ, dicitur nō læuis: et ideo ad hoc, vt optima ſit Hypoſtaſis, non ſolum neceſſe eſt vt ſit Alba, ſed etiam vnita, continua, et non diuulſa.

Et quæ nam eſt cauſa dicetis vos, vt Hypoſtaſis ſit diuulſa? Reſpondeo eſſe flatum, qui ſi multus fuerit, eleuat Hypoſtaſim ad ſuperficiem, ſi pauci ad mediam regionem, ſed ſi flatus mixticū Hypoſtaſi ſint adhuc in minori copia, cum non poſſint illam extollere, faciunt eam eſſe diuulſam, et ſparſam, vnā partem eius eleuando, aliam non, et ſeparando vnam partem ab alia: et ſecundū maiorē, aut minorem copiā, flatus, ita et Hypoſtaſis apparet magis, aut minus diuulſa: et quoniam flatus ſignificat debilem calorem, et diminutam concoctionem, vt diximus ſupra, ideo ex Hypoſtaſi diuulſa, indicat medicus debilem calorem, et diminutā concoctionē.

Nota tamen, quod licet optima Hypoſtaſis debeat eſſe continua, et vnita, non tamen omnis Hypoſtaſis continua dicitur perfecta,

fecta, et bona, niſi ſimul ſit continua, et læuis, eo quia ſi fuerit vnita, ſed tamen grauis, vt quaſi reſideat in fundo matulæ, non erit bona, vt ſunt contenta, et ſedimenta craſſa, viſcida, glutinoſa, quæ licet vnita, quia tamen non ſunt læuia, dicuntur mala.

Aequalis, id eſt vt illa Hypoſtaſis, ſecundum omnes ſuas partes, ſit æqualis ideſt eodem modo compacta, vnita, læuis, et eodem modo concocta, ſi enim ſecundum vnam partem ſit læuis, et ſecundum aliam aſpera, tunc iſta Hypoſtaſis dicitur inæqualis, eſt ergo neceſſarium, vt tota æqualiter ſit concocta, et omnes eius partes ſimiles ſint in colore, odore, et ſubſtantia: cauſa vero huius æqualitatis, eſt optima concoctio, vbi enim naturalis calor ſe habeat ſecundum naturam, tūc etiam æqualiter concoquit, et ſua excrementa erunt æqualia: quod ſi non ſint æqualia, ſignum eſt non fuiſſe optimam concoctionem: et ſi dicas quomodo concoctio dicitur æqualis? Reſpōdeo tunc dici æqualem, quando omnes partes alimenti, optime concoquantur, & nulla relinquitur pars aduſta, aut diminute concocta: Nota quod Alimentum eſſe in æqualiter concoctum,

non

non ſolum pendet, et ſit vitio caloris, ſed etiam dato quod calor optimus fuerit, concoctio poterit eſſe in æqualis, ex defectu, et vitio alimentorum, eo quia ſcilicet alimentum ſit ætherogeneum, et habeat partes diuerſæ rationis: et ideo dicatis, quod vbi Hypoſtaſis ſit æqualis, non ſolum oſtendit perfectionem caloris, ſed etiam oſtendit ſanguinem exiſtentem in venis, optimum eſſe, et bonum, eſſe, et ſecundum naturam, et ideo æqualiter concoqui, quia vbi vitiatus fuerit, et præter naturam, aut non concoquitur, aut in æqualiter concoquitur; aduertẽdum tamen eſt, quod ad hoc, vt optima ſit Hypoſtaſis, non ſolum ſufficit, vt ſit Alba, læuis, et æqualis, ſed etiam, vt docet Gal. omni tempore ſit, nam ſi iſta Hypoſtaſis diu et ſemper non perſeueret: ſed alternatim omingatur pura, ſemicoctum eſſe morbum oſtendit: vnde alibi Gal. oſtendit, quod per æqualem Hypoſtaſim, debeamus intelligere, quæ diu talis perſeuerat, dum ſic dicit, æqualis autem eſt quæ per omne tempus ſimilis eſt ſui, ita vt ſi vno die ſit cocta, altero non ſit Cruda.

1. de criſ: cap. 12. in fine.

lib. de Vrinis, Galeno aſcriptus. cap. 38.

Hinc etiam colligatis, quod vbi Hypoſtaſis optima eſt, et habeat has omnes conditiones,

nes, neceſſario etiam vrina optima erit in ſubſtantia, colore, odore, et quantitate: et ratio eſt, quoniam cum Hypoſtaſis bona, generatur ex optimo ſanguine, à naturali calore, ſe habente ſecundum naturam: ergo neceſſario præſupponit optimum ſanguinem in venis, ſed vt nos demonſtrauimus, vbi ſanguis, et humores exiſtentes in venis, optimi ſint, neceſſario etiam vrina, quæ mixta eſt cum illis erit bona, et ſecundum naturam: Et ideo colligatis ſecundo, quod Hypostaſis bona ſecundum prædictas conditiones, cum non poſſit generari, niſi ex optimo ſanguine, à perfectiſſima concoctione, ideo ſignificat, et oſtendit, optimum calorē, per fectiſſimam concoctionem, et humores exiſtentes in venis, fuiſſe optime concoctos, et ſe habere ſecundum naturam, et optimos eſſe: et ſicuti in ſanis ſignificat optimam ſanitatem, in ægris, oſtendit, et indicat naturā ſuperaſſe morbum, humores peccantes eſſe concoctos, et per concoctionem reductos ad benignum, et ideo morbum eſſe indeclinatione vniuerſali.

Quantum vero attinet ad quantitatem ipſius Hypoſtaſis, dico quod quādoque multa aliquando pauca apparet: cauſa vero huius di-

1. progn. com. 27. 1. de criſ. cap. 12.

ius diuerſitatis, eſt copia alimentorum, ſic docet Gal. quod qui vtuntur tenuiſſimo victu, aut nullam habent Hypoſtaſim, aut valde paucam: qui vero copioſiori cibo veſcuntur, copioſa quoque apparet Hypoſtaſis: et ratio eſt, quoniam ſicuti aſſumpto cibo in maxima quantitate, dum concoquitur in ventriculo, generantur multæ fæces, ideo dum ex illo copioſo cibo generatur multus ſanguis, tunc etiam vena caua copioſius nutritur, et in ſui nutritione, plura generantur excrementa, quam ſi parum nutrietur, & cum Hypoſtaſis ſit excrementum craſſum illius concoctionis, ideo non eſt mirum ſi ex copioſo nutrimento, copioſa quoque reddatur Hypoſtaſis.

Sed eſto quod Hypoſtaſis multa generetur, tamen, quandoq; non educitur cum vrina, et non apparet: hoc autem dupliciter fieri poteſt, aut ratione obſtructionis, vbi enim venæ emulgentes, aut Renes, vel Vreteres, fuerint obſtructi, tũc Hypoſtaſis, cum ſit magis Craſſa, quam Vrina, non educitur, et nõ tranſit per anguſtias illarum viarum: quare Hypoſtaſis quandoq; non apparet, ratione obſtructionis, vbi inquam viæ per quas educitur vrina, fuerint obſtructæ: vel ſecundo

licet

licet nulla fuerit Obſtructio, tamen ratione laboris, et defatigationis, factū eſt, vt nulla appareat Hypoſtaſis, eo quia à labore, nimia defatigatione, extenuantur, et incidūtur omnia excrementa, et etiam Hypoſtaſis, quæ quidem vbi fuerit extenuata, reſoluitur facillime per inſenſibilem tranſpirationem, aut per ſudorem, et ſic non apparet in vrina aut in valde pauca quantitate: vnū tamen hic animaduertendum eſt, quod licet naturalis Hypoſtaſis, in colore ſit Alba: quandoque tamen factum eſt, vt in colore appareat nigra, vel Rubea. & quæ nam eſt cauſa dicetis vos, vt Hypoſtaſis fiat nigra?

Reſpondeo, quod ſicuti color niger, vt diximus ſupra, fit duplici modo, aut per adustionem, vel per extremā refrigerationem, et mortificationem: et cum Hypoſtaſis, tanquā ex materia generetur ex ſanguine, hinc etiā factū eſt, vt ex ſanguine nigro, Hypoſtaſis fiat nigra, e t cū ſanguis ſit niger, vel per aduſtionē, vbi ab igneo, et adurēti calore aduratur, vel per refrigerationē, eo quia naturalis calor, et ſpiritus ipſius ſanguinis, fuerint reſoluti, quibus reſolutis, et extinctis, ſanguis refrigeratur, et fit niger: hinc etiam lib. 1. c. de colore.

factum

factū eſt, vt Hypoſtaſis nigra ſit læthalis, eo quia ſignificat maximā aduſtionem, et natu ralē calorē, auctum eſſe plus iuſto: vel ſecū- do ſignificat extinctionem caloris, et ſpiri- tuum reſolutionem: et quomodo dicetis vos cognoſcam ego an Hypoſtaſis nigra ſit per a- duſtionem, vel per refrigerationem? Reſpō- deo hoc facile poſſe cognoſci ex alijs ſignis, quæ oſtendunt caloris extinctionem, aut a- duſtionem, ſi enim cum nigra Hypoſtaſi ex tremæ partes frigeant, pulſus inæqualis, in- terceptus, et vix percipiatur, et c. ſignum eſt extinctionis caloris, quod ſi adſint ſigna quæ oſtendunt maximam aduſtionem, vt vehementiſſima ſitis, intenſa caliditas, in partibus internis, et externis, et c. ſignifi- cant aduſtionem.

Gal. 1, de criſib. cap. 12.

Non tamen videtur verum, quod per ex tinctionem caloris, et reſolutionem ſpiri- tuum, vrina reddatur nigra, eo quia in om nibus morituris, extinguitur calor, et reſol uuntur, ſpiritus, et non tamen in omnibus apparet vrina nigra, immo non niſi val- de raro: augetur difficultas, quia magna ex parte in ijs, qui ſtatim moriuntur, et ex- tinguitur calor, vrina apparet perfectiſſi- ma: Hypoſtaſis vero Rubea quandoque ap-

paret,

apparet, vt docet Hypo. hæc autem ſit, vt ibi docet Gal. ex ſanguine ſeroſo, aquoſo, et diminute concocto, eo modo quo etiam vrina, ab eodem ſanguine redditur Rubea, vt diximus ſupra: & hac ratione cum iſta Hypoſtaſis Rubea, oſtendat copiam ſanguinis ſeroſi, & crudi, non eſt læthalis, ſed ſolum ſignificat morbi longitudinem, cum ille ſanguis ſeroſus, non poſſit niſi longo tēpore concoqui, & cū ſanguis de ſui natura mitis ſit, & benignus, ideo non parit morbum lhæthalem. lib. 1. c. de colore.

Vel dicamus nos vt ibi diximus, quod ſanguis cum fiat rubeus per aduſtionem, vbi inquam incaleſcat plus iuſto, ita et Hypoſtaſis, ſignificat ſanguinis excalefactionē, et naturalē calorem, auctum eſſe plus iuſto.

Quantum vero attinet ad Odorem: Dico quod optima Hypoſtaſis, nō male olet, ſicuti nec optima vrina: ſed vbi fætet, hoc eſt ſignū putrefactionis, eo modo, quo diximus ſupra de vrina dum male fætet, ſignificat enim ſanguinem ex quo generatur Hypoſtaſis, eſſe putridum, et corruptum; quia ergo Hypoſtaſis vbi feteat, ſignificat internam putrefactionem, et humores exiſtentes in venis putridos eſſe, ideo eſt læthalis.

Hic tamen, duæ occurrunt difficultates, prima, an in homine optime ſano, Hypoſtaſis ſit: ſecundo cur non appareat in principio morborum.

3. meth. med. cap. 3 *Quoad primum, Reſpondeo quod cum in omni concoctione neceſſario duo generentur excrementa, craſſum, & tenue: ita quoque cum vena caua, in corpore optime ſano nutriatur ex ſanguine, neceſſe eſt in iſta cõcoctione, generari craſſum excrementum, quod eſt Hypoſtaſis, in maiori, aut minori copia ſecundum quod magis, aut minus nu-* 2. 1. doct. 3. cap. 6. *tritur: licet contrarium videatur aſſerere Auic. in ſanis non neceßario reperiri: pro quo nota, quod cum Auic. ſequendo communem opinionem, diſtinguat Hypoſtaſim ſanorum, ab Hypoſtaſi quæ apparet in ægris, vt alibi diximus, ideo hic loquendo de Hy-* lib. 1. & 2. de concoctione. *poſtaſi egrorum, negat illam reperiri in ſanis, non negat tamen in ſanis reperiri propriam, et naturalem Hypoſtaſim.*

Ad ſecundum reſpondeo, vt alibi dixi- lib. 2. de concoct. c. 16. *mus, quod in principio morborum duplici de cauſa Hypoſtaſis non apparet, aut valde exigua, primo quoniã ſanguis eſt adeo crudus, et rebellis, vt paruum ſit aptus ad nutritionẽ, ideo non eſt mirum, ſi vena caua, aut nihil,*

aut

aut parum ex tali ſanguine nutriatur, et ideo excrementum craſſum quod dicitur Hypoſtaſis, aut non generatur, aut generatur in tam pauca copia, ut mixtum cũ multa urina non appareat: ſecũdo quia in principio uniuerſali morborum, natura eſt adeo intenta coctioni ipſius morbi, ut non curet de nutritione partis, ſed in augmento cũ ſanguis ille crudus, per concoctionẽ magis reddatur ad benignũ, aptus ut melius poſſit nutrire, ideo in augmento vena caua ex illo ſanguine magis nutritur, ideo et plura generantur excremẽta, et Hypoſtaſis magis apparet: ſicuti et in ſtatu, quia ſanguis ille crudus eſt magis cõcoctus, et factus eſt magis benignus magis nutrit, ideo et Hypoſtaſis copioſior generatur.

De differentijs, cauſis, & iudicijs contentorum in Vrina, à toto genere pręter naturam. Cap. III.

DE optima, et naturali Hypoſtaſi, hactenus pertractauimus, nunc reliquũ eſt et de Hypoſtaſi nõ naturali pertractare, de qua quidem tria ueniũt cõſideranda, primo quot ſint eius differẽtiæ, ſecũdo cauſa illarũ

differentiarum erunt inueſtigandæ, tertio, et vltimo, quid ex illis medicus poſſit præſagire.

Quoad primum, cum Hypoſtaſis ſit excrementum, et excrementa triplici modo dicuntur muiata, vt diximus ſupra, vel quia à toto genere ſint præter naturam: vel ſecũdo licet ſint naturalia, tamen excernantur indebito modo, et intempeſtiue, vel tertio quia fuerint ſuppreſſa, et non excernantur debito tempore: ita quoque et Hypoſtaſis, ſeu contenta in vrina, ſunt in triplici differentia mutata à naturali ſtatu, vel quia à tota ſubſtantia ſint præter naturam, et iſta ſunt in multiplici differentia, vt pus, ſquammæ, calculi, à renule, ſanguis, carũculæ, et c. quæ omnia vbi apparent cum vrina in fundo matulæ, dicuntur contenta toto genere præter naturam, vel licet contenta, quæ cũ vrina excernantur ſint ſecundum naturã, id eſt ſint ea quæ debent excerni, tamen nõ excernuntur eo modo quo debent: hoc autem dupliciter contingit, vel primo quia Hypoſtaſis aut contenta non appareant, aut ſecundo ſi appareant ſint diuulſa, vel in æqualia, aut aduſta, vel Cruda.

Lib. 1. c. 2.

Primo loco nobis agendum erit, de contentis,

tentis, quæ à toto genere ſint præter naturã, et quoniam iſta adhuc ſunt in duplici differentia, quædam quæ apparent in ſuperficie ipſius vrinæ, vt ſpuma, corona, et pinguedo: alia in fundo matulæ, vt Orobum, furfureum, lamineum, et ſimilaceum.

Nobis primo agendum eſt, de ijs quæ ſuper natant in vrina: Quare dicamus, quod differentiæ vrinarum ex Hypoſtaſi, et contentis, deſumendæ ſunt primo à ſitu, ſecundo à colore, tertio à ſubſtantia, quarto à tẽpore: à ſitu tres ſunt primæ differentiæ, pro ut id quod continetur in vrina, vel eſt in ſuperficie, vel in medio, aut in fundo: ex colore multæ ſunt differentiæ, ſed principaliter ſunt tres, prout vnum quodque illorum contentorum, vel eſt Album, vel Rubeum, vel nigrum: magna enim ex parte hi tres colores, ſunt in contentis, vel ad eos alÿ reduci poſſunt: ſecundum ſubſtantiam, contenta ſunt in duplici differentia, eo quia aut ſunt læuia, ideſt vnita, et continua; vel diuulſa: vel ſecundo æqualia, aut in æqualia, eo modo quo diximus ſupra: à Tempore contenta adhuc ſunt in duplici differentia, pro vt iſta contenta, aut diu, et longo tempore apparent, et perſeuerant, aut non.

Hic tamen vnum notãdum eſt, quod iſta diuerſitas contentorum in vrina, pendet à duobus, primo à cauſa materiali, ſecundo ab efficienti: ſecundum enim diuerſitatem materiæ, ex qua generatur contentum, factum eſt vt contenta ſint diuerſa, eo quia ſi materia tenuis fuerit, parit contentũ tenue, et ſecundum quod magis, aut minus tenuis erit, ita quoque contenta apparent, aut in ſuperficie, vel in Medio matulæ.

Sed ſi materia ex qua generatur contentum in vrina, ſit craſſa, ita quoque contentum craſſum erit in fundo matulæ: non tamen ſola materia, ſed etiam et calor, vt cauſa efficiens eſt cauſa diuerſitatis contentorum, ſecundũ quod vno, vel alio modo, operatur in illa materia, vt dicemus loco ſuo.

Dę differentijs, cauſis, & iudicijs ſpumæ: circuli, & Ampullarum in vrina.

Cap. IIII.

DIfferentiæ, quæ ſumuntur à ſpuma, et bullis apparentibus in vrina, ſunt in quadruplici differentia: prima deſumpta à ſubſtãtia, ſecunda à calore, tertia à magnitudine,

tudine, quarta à ſitu: à ſubſtantia quia aut ſunt craſſæ, aut Tenues, vel mediocres, & ex conſequenti facile, aut difficulter excuſſibiles: à colore, prout ſunt Albæ, liuidæ, aut nigræ, vel alterius coloris: ſicuti à magnitudine, aut ſunt magnæ, vel paruæ, aut mediocres: à ſitu, vel occupant totam ſuperficiem vrinæ, vel partem tantum.

Sed cum cauſæ circuli, ſeu coronæ Ampullarum, et ſpumæ, eedem ſint, ideo cognita ſpumarum generatione, cognoſcitur etiã, quomodo generentur, Ampullæ, et circulus: & quæ nam igitur dicetis vos eſt cauſa generationis ipſius ſpumæ?

Reſpondeo quod cum quatuor ſint genera cauſarum, vt materia efficiens, forma, et finis, de hijs omnibus agendum eſt, & primo ex qua materia generetur ſpuma:

Reſpondeo ex duplici materia, nempe ex humore craſſo, viſcido, et lento, ſecundo ex flatu, ſeu ſpiritu flatuoſo, ſic docet Galenus.

Cauſa vero efficiens ipſius ſpumæ duplex poteſt eſſe, nempe Motus, aut Calor, ſic locis citatis fatetur Galenus: et quomodo dicetis vos à motu, vel à calore, ex materia craſſa, & ſpiritu flatuoſo, generatur ſpuma.

1. de criſ. cap. 11. 7. aph. com 30. & 34. 2. aph. com. 43. 21 2. prog. 47. 3. de rat. vict. 12. Auic. 2. 1. doct. 3. c. 5

Reſpondeo ſpumam generari, ex permixtione flatus cum materia craſſa, eo quia à ſolo flatu, vel à ſola materia craſſa, nunquam generatur ſpuma, niſi flatus miſceatur cum
2. aph. 43 illa materia, quod docet Gal. dum ſic dicit ſpumæ generatio omnis Duarum ſubſtantiarum mixtura perficitur, quarum ſpirituoſa vna eſt, altera humida: non ſufficit tamen ad hoc, ut fiat ſpuma, vt flatus mixtus ſit cum materia viſcida, ſed requiritur ſecundo vt iſta materia Craſſa, mixta cum flatu, moueatur motu ſatis ualido, eo quia ex tali agitatione, et commotione, tanquam à cauſa efficienti, generatur ſpuma: vel ſecundo vt incaleſcat, quia etiam ratione caloris ex illa materia generatur ſpuma: ſed quomodo dicetis vos, exagitatione, vel à calore fit ſpuma. Reſpondeo quod et ſi cum illa materia, mixti ſint flatus, niſi tamen illa materia fuerit agitata, nunquam fit ſpuma, iſta tamen agitatio, aut motus non dicitur cauſa efficiens ſpumæ, vt quidam doctiſſimi viri crediderunt, eo quia humores rare facit, quibus rare factis ne detur vacuum, includitur aer, ac ſpiritus, qui quærentes poſtea exitũ, dilatando, et extendendo illã materiam, cauſant ſpumam: vel ſecundo

Authoris expoſitio.

dicunt

dicunt iſti quoniam motus humores calefaciens, ex ipſis calefactis ſpiritus educit, qui incluſi ſpumam efficiunt: Reſpondeo enim ad primum quod motus, non generat flatũ, eo modo quo dicunt iſti, et eo magis quoniã per eandem viam, per quam ingreditur flatus, per eandem (ſtante rare factione humorum, cauſata per te à motu) egrederetur, & reſolueretur.

Dicamus igitur, quod non ſolum eſt neceſſarium, ut flatus miſceatur cum humore, ſed etiam eſt neceſſarium, ut maxima fiat agitatio, ad hoc ut flatus commiſceatur cũ toto illo humore, ut dicit Gal. neceſſe ut moueatur motu magno, et in æquali, adeo ut ipſe comminuatur, attenuetur que, et pituitam confringat, et in multas, et paruas partes comminuat, ſic et in mari impetuoſius ventis agitato, et turbato, ſpuma apparere ſolet: et alibi Gal. ſic dicit, generatur ſpuma, ubi flatus miſceatur cum humore: Hæ autem inuicem permiſcentur in multas partes fractis utriſque, et comminutis, atque plurimas inter collidendum paruas bullas excitantibus: ex hÿs patet, motum, et agitationem non requiri ad generationem flatus, ſed ab alia cauſa generato iam flatu, requiritur

7. aph. 30

2. aph. 43.

quiritur iſta agitatio, et perturbatio, (inmo potius ex tali agitatione, et motu, flatus diſcutitur, eo quia rare ſit materia illa, vnde flatus diſsoluitur, & ſpuma corrumpitur) ad hoc, vt ex tali agitatione, illi flatus permiſceantur cum omnibus partibus illius humoris, dum enim flatus, & humor ſimul mixti comminuuntur, et franguntur, tunc excitantur Bullæ, et ſpumæ.

Cum ergo cauſa efficiens ipſius ſpumæ, ſit permixtio, ſeu confuſio, aut confractio harum duarum ſubſtantiarum, nempe humoris, et flatus in multas, et minimas partes, iſta autem permixtio fieri ſoleat, vel à motu, eo modo quo diximus, vel ſecundo à calore, videndum igitur eſt, quomodo à calore, tanquam à cauſa efficienti, generetur ſpuma.

Reſpondeo quia non ſufficit ad hoc, vt fiat ſpuma, vt humor mixtus ſit cum flatu, ſed eſt neceſsarium, vt inuicem, ſecundum omnes partes permiſceantur, et confundantur, iſta autem confuſio, non poteſt fieri, niſi illa materia flatuoſa fuerit agitata, eo quia ex tali agitatione, maxima fit permixtio, & cum talis agitatio, et perturbatio, dupliciter

citer fieri poſſit, aut à motu, aut ſecundo, à calore: à calore inquam per Ebullitionem, quia dum res, et Aqua feruet, videmus maxime agitari, et commoueri, vnde maxima fit confuſio, & permixtio earum rerum, quæ ſunt in Aqua, præſertim flatus cum aqua. ſic dicit Galenus, ſic in hijs, quæ ex aqua concoquuntur, preſertim ſi lenta, et viſcida fuerint natura, & in mari impetuoſius ventis turbato, & agitato, ſpuma apparere ſolet: hæc Galenus, & alibi ſic dicit in ſpuma, vtriuſque ſubſtantiæ, comminutionis, et permixtionis cauſa exiſtit, vel vtriuſque, vel alterius tantum motus violentus, aliàs calor vehemens, ſicuti in mari vẽto vehementius ingruente, propter verberatum, vehementem excitari ſpumam: in feruente læbete, ob calorem fieri diximus, ſicuti etiam alibi ſic loquitur. 7. aph. 30 2. aph. 43. 2. progn. com. 47.

Omnis enim ſpuma, ex Pituitoſa, et ærea ſubſtantia ſecum mixtis, componitur, in Pelago quidem Aqua ipſa, in minutas partes diſciſſa vi, et impetu ventorum, in ijs vero quæ elixantur, à caloris copia, & c.

Quare dicendum eſt calorem in generatione ſpumæ, non requiri pro generatione

flatus

flatus, aut ad hoc vt materia, à calore reddatur craſſa, et viſcida, quoniam eſto quod flatus mixtus ſit cum humore craſſo, non tamen fit ſpuma, niſi maxima fiat agitatio, et confuſio, ſeu permixtio flatus cum humore, & quia iſta permixtio non poteſt fieri, niſi vel à motu magno, vel à calore, ideo in generatione ſpumæ requiritur tanquam cauſa efficiens Motus, aut calor.

Cauſa formalis, eſt dilatatio, ſeu extenſio materiæ humidæ, factæ à flatu intus exiſtente in eadem materia: et quomodo dicetis vos, iſte ſpiritus flatuoſus, mixtus cum materia humida, aptus eſt dilatare et, extendere illam materiam humidam, et parere ſpumam? Reſpondeo quod ille flatus ex illa agitatione, quærens exitum, et poſſe exalare, ibi intumeſcit, ac illam materiam extendit, et dilatat, et fit ſpuma: et ſic ſpuma nihil aliud eſt, quam extenſio humidi craſſi, à ſpiritu flatuoſo, cauſata ex agitatione: ſic etiam docet experientia, quod inuicem permiſcendo aquam cum oleo, aut cum alia re pingui, ex earum maxima agitatione, generatur ſpuma, quæ quidē ſpuma diutius perſeuerat, ſecundum quod materia ex qua fit ſpuma, ſit magis, aut minus craſſa, et viſcida:

ſcida: ſi enim ſubſtantia humida fuerit valde viſcida, et etiam flatus craſſus, et turbulentus, tunc ex agitatione huius materiæ fit ſpuma. quæ non ita cito diſſoluitur, ſed longo tempore durat: ſicuti ſi humor Tenuis fuerit, et flatus etiam ſubtilis, ſpuma ſubito generatur, ſed etiam ſubito diſſoluitur: et ratio eſt, quia ſpiritus craſſus, in materia viſcida incluſus, non ita cito poterit exalare, et euaporare, ideo diutius illam materiam dilatando, et quærendo exitum, eſt in cauſa, vt ſpuma longiori tempore perſeueret, contrarium autem contingit vbi materia tenuis ſit, et ſpiritus Tenuiſſimus, quia facillime ſurſum fertur, et poteſt euaporare, et ſpuma cito euaneſcit, ſic docet Gal. Sed ratio quare ſpuma apparet in ſuperficie ipſius vrinæ, eſt quia ſubleuatur, et ſurſum fertur, à ſpiritu flatuoſo. 2. aph. 43. 7. aph. 30. 34.

Ex ijs quæ hactenus declarauimus, facile erit conſiderare, quomodo generetur ſpuma, in vrina: et cum ſpuma generetur ex duplici materia, nempe ex humore craſſo, et flatu turbulento, ita quoque vbi in venis, humores craſſi fuerint, et viſcidi, erit vna ex materiebus, ex quibus generatur ſpuma, quæ quidem materia, ſolet generari ex viſcido,

ſcido, & craſſo alimento, à debili, & imperfecta concoctione: flatus vero, qui ei miſcetur, quomodo generantur, docet Galenus, dum ſic dicit, generantur flatus vbi qui Crudi ſunt humores, in vaporem ab imbecillo calore reſoluũtur: vehemens enim calor: magna ex parte vicens ea, quæ comprehendit, pluſquam pro vaporis ortu, crudos ſuccos extenuat, et ratio eſt quoniam à frigiditate non fit flatus cum frigiditas non poſſit extenuare, aut aliquo pacto diſſoluere materiam crudam, et ideo vapores, et flatus, non excitat: ſimiliter et magnus calor, magna ex parte vicens ea quæ comprehendit, pluſquam pro generatione flatus humores crudos digerit, et extenuat, ideo flatus non generantur, ſed calor vbi debilis fuerit, crudos humores excalefaciens eos quodammodo diſſoluit, non tamen conficiat, flatum generat ex iſta materia, eo modo quo Ariſt. dicit, quod in hieme de raro fiunt pluuiæ, eo quia à frigiditate aeris, non eleuantur vapores: ſicuti nec in æſtate fiunt, quia licet eleuentur vapores, tamen à magno, et ferventi calore, vapores illi reſoluuntur: Sed in vere, et autunno, quia calor debilis eſt, eleuando vapores illos non

3. de ſimp. cauſ. c. 2.

1. methe.

reſoluit

reſoluit, ideo fiunt pluuiæ.

Vbi igitur in venis, humores craſſi fuerint viſcidi plus iuſto, mixticum flatu, tũc ex maxima agitatione, quæ fit à calore, vel à motu generatur ſpuma, quare & vrina mixta cum illis humoribus, mingitur ſpumoſa.

Ergo vrina ſpumoſa (vt deueniam ad ſecundum quæſitum, nempe ad iudicium) ſignificat primo, humores exiſtentes in venis, crudos eſſe, viſcidos, & craſſos, dico Crudos, quia ſi fuiſſent optime concocti à naturali calore, cum illis non reperirentur flatus, cum flatus generetur à debili calore, & ab imperfecta concoctione: ſecundo dico viſcidos, & craſſos, quia ſi tenues fuiſſent, aut ſpuma non fieret, aut ſubito genita, ſtatim etiam diſſolueretur, ſed vbi Vrina mingitur ſpumoſa, & diu remanet ſpumoſa, oſtendit craſſitiem, & viſciditatem humorum, eo modo quo diximus ſupra, & hac ratione in febribus, quæ ortũ ducunt ex crudis humoribus, Vrinæ ſunt ſpumoſæ.

Secundo ſignificat maximam agitationẽ, et cõmotionẽ factã in illis humoribus, et quo

niam

niam humores craſſi, et viſcidi, et flatus, non niſi longo tempore concoquuntur à natura, ideo ex tali Vrina ſpumoſa, iudicamus
7.2 ph. 34. morbum futurũ eſſe longum, ſic docet Hipo. et Gal. in com. Hic tamen vnum notandũ eſt, quod illa agitatio, ſeu permixtio, et comminutio, quæ fit inter humorem craſſum, et ſpiritum, ad hoc vt fiat ſpuma, non poteſt fieri niſi ex maxima ebullitione, vt patet in aqua, quæ dum in lœbete excaleſit, nunquam excitatur ſpuma, niſi vſquequo ferueat, & à magno calore ferueat: ſicuti nec à quocũque motu, ſed ſolum à magno fit ſpuma, vt
2. aph. 43. docet Gal. ſed ſecundo notandum eſt, quod ſpuma, quæ apparet cum vrina, eſt in duplici differentia, quædam quæ ſimul fit cum vrina dũ mingitur, ex illa agitatione, et ideo ſtatim micta vrina, reſoluitur ſpuma.

Quare non conſideratur à Medico, cum habeat cauſas debiliores, ſed altera eſt ſpuma, quæ remanet poſtquam quieta eſt vrina, atque omni ex parte refrigerata, quæ cũ ab aere non efficiatur, indicat eius generationem eſſe à præſtãtiori cauſa, vt diximus, & iſta à Medico conſideratur.

Vrina ſpumoſa multa ſignificat, primo corporis colliquationem, ſecundo in equalẽ

pertur-

perturbationem humorum exiſtentium in venis, vt docet Gal. et ratio huius, vt ibi docet Gal. quoniam ſi ſpuma fiat à feruore, et à maxima caliditate, ideo à tali caliditate timenda eſt corporis colliquatio: et ſicuti vbi res pingues colliquentur, ex earum colliquatione, bullæ, et ſpuma generatur: ita quoque et in vrina, ex colliquatione pinguedinis apparet ſpuma: cognoſcimus autem ſpumam fieri ex colliquatione, quoniam cum fiat ab adurenti calore, ita quoque illa vrina in colore erit intenſe colorata, et ſpuma cum ortum ducat à materia Craſsa, nempe ex colliquatione diutius perſeuerat in vrina, nec ita cito diſſoluitur. Dicamus ergo ſpumam in vrina non ſignificare colliquationem cum hoc non ſit verum: ſed dicamus, ſpumam poſſe cauſari ex colliquatione pinguedinis.

1. de criſ. cap. 11.

Secundo ſignificat etiam futuram Conuulſionem, hoc autem quomodo fieri poſſit, docet Gal. quod ſpuma fieri ſolet à motu violento, et à calore, exemplificat dicens ſic: Quæ corporibus animalium per conuulſiones epilepticas, iactatione, et motus violentia, in Apris ſpumam naſci ſolere: æquorum vero curſu, vtriuſque cauſæ vehementiam

2. aph. com. 43.

 locum

locum habere hæc Galenus notandum tamen eſt, ſpumam fieri in conuulſione, quæ fit animi humiditate craſſa, eo quia illa materia craſſa, ubi fuerit diu agitata, parit conuulſionem, pro ut neruos replet, & humectat plus iuſto, ſpumam vero parit prout fuerit agitata: quare in ſicca conuulſione non fit ſpuma.

Lib. de iudicijs vrinarũ. cap. 14.

Sed an ex vrina ſpumoſa, poſſimus præſagire dolorem capitis, eſt grauis difficultas: quoniam Actuarius fatetur quod vbi in vrina appareant bullæ, & ſpuma, ſignificant dolorem capitis, aut capitis malam affectionem: & iſta eſt communis opinio: cui videtur aſſentire Hipo. dum ſic dicit: Quibus per diarrhoeas ſpumoſa ſunt alui excrementa, ijs a capite fit defluxio: ex quo ſic infero ſicuti ſpumoſa alui excrementa, a capite defluxum oſtendunt, ita & ſpumoſæ vrinæ: comprobari hoc idem poteſt, ex loco Hipo. vbi dicit multum vrinæ emittitur, vbi caput nimium in caluerit: liqueſcit in eo pituita, & deſcendendo per venas quæ ducunt ad pudendum, excernitur vrina in multa copia: ex quo loco ſic infero cum pituita liquefacta, ſit humor craſſus, & crudus mixtus cum flatu, non eſt mirum ſi à

7. aph. 30.

2. de morbis apn.

calore

calore ex calefacta, & etiam per motum agitata, dum deſcendit ad pudendum, reddatur ſpumoſa, & ideo oſtendit capitis affectionem.

Dicatis igitur ad difficultatem, quod non ſemper, omnis vrina ſpumoſa, oſtendit capitis affectionem, nec materiam illam ſpumoſam a capite deſcendere, vt docet 7. aph. com. 30. *Gal. fieri enim poteſt, ſicuti magna ex parte contingit, vt ſpuma in vrina generetur in venis quæ ſunt in ventre inferiori, eo modo quo diximus ſupra & tunc vrina mingitur ſpumoſa, & tamen non eſt a capite, nec oſtendit capitis affectionem: hoc tamen fieri poteſt, & vt plurimum contingit, vt in affectionibus capitis vrina educatur ſpumoſa: & ideo iſta propoſitio poteſt eſſe vera, adeſt dolor capitis, vel mala capitis affectio, ergo vrina eſt ſpumoſa: non tamen valet dicere, vrina eſt ſpumoſa, ergo caput eſt male affectum: notandum tamen eſt, quod nec etiam in omnibus affectibus capitis vrina mingitur ſpumoſa, niſi humores exiſtentes in capite, craſſi fuerint, & in eis facta fuerit maſſima agitatio, vnde excitari poſſit ſpuma.*

Quare in affectibus capitis, ſi vrina mingitur ſpumoſa, hoc eſt ſignum affectionem illam, ortum ducere ab humoribus crudis, craſſis, et viſcidis, et ex eorum maxima agitatione, ſed ſi cauſa capitis male affecti, fuerint humores tenuiſſimi, ſine flatu, et nulla in eis facta fuerit agitatio, tunc vrina non mingitur ſpumoſa: quodſi quærat quiſpiam veſtrum, quomodo, vrina ſpumoſa, ſignificare poterit capitis affectionem,

Authoris ſolutio.

Reſpondeo quod cum ſpuma non fiat, niſi ex maxima agitatione materiei, ideo ex illa commotione, vapores, et flatus eleuantur, et ſurſum feruntur ad caput, unde pariunt dolorem, aut vertiginem: aut alteram capitis affectionem, eodem modo quo docet Gal. Vrinam turbidam ſignificare capitis dolorē.

4. aph. com. 70.

Quarto ſpumoſa vrina quidſignificet, videatis Hipo. ſic dicentem, quibus in Vrinis Bullæ innatant, Nephritim, & longam ægritudinem futuram eſſe ſignificant: iſta tamen ſententia, vt ego credo, non eſt intelligenda, vt perperam communiter creditur, quod ex bullis, vel ſpuma innatante in vrina, poſſimus præſagire morbum renalem, cum etiam Bullæ, et ſpuma in vrina appareat in affectibus capitis: et etiam abſque

7. aph. 34.

vlla

vlla capitis, aut Renum mala diſpoſitione, ſed ex ſola, et ſimplici agitatione materie craſſæ in venis: et eo magis cum quandoq; bullæ, et ſpuma fiat, dum mingitur vrina, et diu perſeueret: non ergo valet iſta conſequentia, bullæ innatant in vrina, ergo Renes laborant.

Quare ſic erit intelligenda ſententia Hipocratis, quod in Nefritide, magna ex parte, et vt plurimum bulla, & ſpuma innatat in vrina: et quoniam ſpuma generatur ex materia craſſa, flatuoſa, ideo in affectibus Renum pendentibus à materia craſſa, et viſcida, vbi à calore fuerit agitata, non eſt mirum ſi generetur ſpuma, et vrina excernatur ſpumoſa, et quoniã iſti humores craſſi vbi ſint in Renibus, ſua craſſitie, et viſciditate, tenaciter adherendo pariunt obſtructionem, aut calculum, vnde Nephritis generatur: et quoniam humores craſſi, non niſi longo tempore concoqui poſſunt à natura, ideo ſignificãt morbi longitudinem: Colligatis igitur, quod vbi in affectibus Renũ, mingitur vrina ſpumoſa, ſignificat affectũ illum, ortum ducere ab humore craſſo, & viſcido.

Pro maiori tamen declaratione, hic qua-

tuor veniunt conſideranda de ſpuma: primo tempus, ſecundo quantitatem, tertio qualitatem, quarto locum.

Quoad primum debet medicus conſiderare, an ſpuma diutius perſeueret in vrina, an cito euaneſcat, ſi enim longo tempore conſeruatur, ſignum eſt quod illa materia ex qua generatur, eſt viſcida & valde craſſa, & ſpiritus etiam turbulentus, & craſſus: ſi vero ſpuma, & bulle facillime diſſoluuntur, ſignum eſt materiã non eſſe multum craſſam.

Sed ſi ſpuma aut bullæ multe ſint arguit multitudinem materie crude, & viſcide, & copiam flatus, & maſsimam agitationem: ſicut ſi pauca fuerit, oſtendit materiam non eſſe multam: & paruam agitationem.

Sed quo ad qualitatem ipſius ſpumæ, debet medicus conſiderare illius colorem; an alba fuerit, nigra, vel liuidis, aut flaua, & c. ſi enim materia ex qua fit ſpuma, fuerit omnino cruda, & pituitoſa, erit in colore alba: ſi vero materia ex qua fit ſpuma, fuerit aduſta, tunc ſpuma erit nigricans, aut liuida, ſicuti etiam ex ſpuma nigra, præſagimus extinctionem caloris, quare cogor damnare illorum opinionem, qui negant ſpumam habe-

habere diuerſos colores, ſed ſemper eſſe albam, eo quia ſpiritus & aer humoribus incluſi, eos ſemper albeſcere facit, hoc idem confirmatur, authoritate Platonis in timeo, Ari. et Gal. dicatis tamen quod licet omnis ſpuma, a prædominio appareat alba, et clara, et licet non detur ſpuma omnino nigra, datur tamen nigreſcens, quæ vergit ad obſcuritatem, et ad liuorem, et quandoque ad colorem cæruleum, et flauum, prout docet experientia et Auic.

Ari. 2. gen. animi. cap. 2. 5. & 6. Gal. lib. 8. de placitis cap. 6.

Quoad locum, ea quæ Actuarius, et Gordonius de loco bullarum et ſpumæ in vrina, et de regionibus vrinæ referunt, veluti nugæ, et fabuloſa, negligenda ſunt: eo quia ſpuma apparet ſemper in ſuperficie vrinæ, ſecũdũ magis et minus, prout magis aut minus, illa materia craſſior eſt, aut tenuior, aut a flatu magis et minus attollitur: ſed cum in vrina non detur dextrum, nec ſiniſtrum, vana ſunt omnia quæ ipſi dicunt.

2. primi doc. 3. cap. 5. lib. 2. de cauſis urin. cap. 4. gordonus tractatu de urinis cap. 4.

Occurrit hic tamẽ difficultas, an ſpuma q̃ apparet in vrina, generetur intus in venis, an ſolũ gignatur ab extra, dũ mingitur vrina, ex agitatione et motu: Reſpõdeo ꝙ licet ſpuma in vrina, qñq; generetur ex ſola agitatione, q̃ fit dũ mingitur, tamẽ etiã põt gene

rari in venis, et in internis partibus, et ſicuti fæces ſpumoſæ excernuntur ab inteſtinis, ita quoque credendum eſt, & vrinā cū ſpuma excerni ab internis partibus, cognoſcitur vero an ſpuma generetur dum mingitur vrina, an vero in internis partibus fuerit generata, multis modis, primo quoniam, ea quæ ab extra generatur ſicuti cito fit, ita quoque citiſſime diſſoluitur, et euaneſcit: ſed quæ intus generatur, diutius perſeuerat: et ſi dicatis ſi ergo ſpuma generari poteſt in internis partibus, ergo vrina mingitur ſpumoſa, quod tamen nunquam videtur. Reſpondeo quod licet ſpuma generetur in venis, aut in Renibus, vel in veſica, dū tamē vrina educitur per anguſtiſſimos meatus, comprimitur, eo quia flatus comprimūtur, et humorem non poſſunt eleuare ob anguſtiam loci, ſed vbi vrina fuerit emicta, ſtatim flatus mixticum vrina eleuantur, humorem attollunt, et apparet ſpuma.

Concludamus igitur, quod ex ſpumoſa Vrina, nihil aliud poſſumus tuto præſagire, niſi copiam crudorum, et craſſorum humorum, et maximam eorum agitationem: ſed cognoſcere ex ſpuma, an agitatio huius materiei, et an iſti craſſi humores ſint in capite,

pite, vel in Renibus, aut in veſica, aut alia parte eſt impoſſibile ex ſola ſpuma vrine: Secundo poſſumus præſagire longitudinem, aut breuitatem morbi, et ratio eſt, quoniam ſi ſpuma multa fuerit, et diutius perſeueret, quia arguit copiam, et multitudinem crudorum humorum, qui cum non poſſint niſi longo tempore concoqui à natura, ideo cum virtute valida ſignificat morbi longitudinem, ſed cum virtute debili eſt ſignum læthale.

Tertio, Dubitatur, cum ſpuma tanquam à cauſa efficienti, fieri ſoleat, aut à motu, vel à calore, et quibus ſignis cognoſcam ego, an ſpuma, quæ apparet in vrina fiat à motu, vel à calore? Reſpondeo hoc non poſſe cognoſci ex colore, cum ſpuma habeat varios, & diuerſos colores non à motu, vel à calore, ſed pro diuerſitate materie, ex qua fit ſpuma: et ideo dicendum eſt, eſſe valde difficile hoc cognoſcere, niſi hoc cognoſcamus ex alijs ſignis, quæ oſtendunt nobis corpus fuiſſe multum agitatum, vel excalefactum: dicendum eſt tamen, magna ex parte, vrinã reddi ſpumoſam, ex agitatione facta à calore: quod ſi nullus præceſſerit labor, aut motus magnus, qui poſſit parere ſpumam, dicendum

cendum eſt generari a calore: ſed an ſit a calore naturali, vel præter naturam, cognoſcitur ex alijs ſignis, eo quia ſi in Socrate febricitate appareat vrina ſpumoſa in principio, vel in augmento vniuerſali, quando tunc temporis adeſt dominium caloris febrilis, ſignum eſt agitationem illam in humoribus, fieri a calore febrili: ſed ſi fiat in vltima parte ſtatus, vel in declinatione, et in corpore ſano dicatis fieri à naturali calore, præſertim ſi talis vrina ſpumoſa in ſubſtantia, quantitate, colore, et hypoſtaſi, optima ſit: ſed ſi vrina ſpumoſa in omnibus dictis mala fuerit, ſignum eſt illam agitationem humorum non fieri a calore naturali: ſi tamen vrina fuerit mala, et poſtea mutetur ad bonum, et appareat ſpumoſa, ſignum eſt naturam agredi coctionem peccantium humorum, et ex eorum coctione et agitatione, facta a naturali calore, generari ſpumam.

Corona vero, ſeu circulus qui quandoq; apparet in ſuperficie ipſius vrinæ, aut eſt ex ſpuma, nēpe ſpuma in figura circuli, et tunc idem ſignificat et eodem modo generatur, ſicuti ſpuma, ſed iſta corona diutius perſeuerat quam ſpuma reliqua in ſuperficie vrine,

co

eo quia adheret parietibus matulæ ideo longiori tempore conſeruatur.

Sed ſi corona aut circulus, non ſit ſpumoſus nec ex ſpuma genitus, ſed ſit veluti linea quædam diuerſi coloris, quæ apparet quandoque inſuperficie vrinæ, veluti circulus: ſed quomodo generetur, et vnde fiat, difficile eſt cognoſcere: et iſta corona ſeu circulus ſecundo modo diuiditur in multas differentias prout in colore eſt alba uel valde colorata, aut viridis, uel nigra licet vrina non ſit illius coloris, et quoniam iſte circulus generatur per colliquationem ab adurenti calore et eſt quaſi ſimilis pinguedini ideo primo de pingui vrina nobis agendum erit.

De Differentijs, Cauſis & Iudicijs Vrinæ Pinguis. Cap. V.

TErtium genus contentorum inſuperficie ipſius vrinæ, eſt ipſa pinguedo, de cuius quidem differentÿs, cauſis, et iudicÿs, nunc nobis agendum erit:

Vrina pinguis, eſt in quadruplici differētia, alia eſt Pinguis eo quia in eius ſuperficie,

eſt pinguedo, eo modo quo pinguedo apparet in iure pulli refrigerato, veluti cruſtula pinguedinis, quod fit dū ius à frigore cōcreſcit, et apparet pinguedo concreta, et congelata, alba: vel ſecundo pinguedo non occupat vniuerſam ſuperficiem vrinæ, ſed ſolum in ſuperficie apparent, veluti puncta, et guttæ olei, nūc paucæ, nūc plures, nunc tenues, nūc craſſiores ſicuti in iure apparent: tertio pinguedo apparet in ſuperficie vrinæ, veluti tela Araneæ in ſola ſuperficie, et eſt valde tenuis et ſubtilis: quarto modo vrina dicitur Pinguis, cum non ſolum in eius ſuperficie, apparet pinguedo, ſed etiam ſecundum totam
1. de criſ. *ſui ſubſtantiam vrina eſt pinguis veluti ius.*
cap. 12.
2. progn. *Sed cauſa huius pinguedinis in vrina,*
23. & 36. *quæ nam ſit docet Gal. eſt Colliquatio: ſed*
3. epid. *quæ nam ſunt ea, quæ vbi fuerint liquefa-*
com. 3. *cta, pariunt vrinas pingues? Reſpondeo eſ-*
tex. com. *ſe in triplici differentia, primo eſt pinguedo,*
55. & 70. *ſicut dicit Gal. Pinguia autem excernun-*
72. *tur, colliquata pinguedine ab igneo calore,*
2. prog. 23 *et alibi ſiue Alui Excrementum, ſiue vrina*
7. aph. *pinguis eſt, ex Adipis colliquatione, à calo-*
com. 35. *re igneo. ſecundo fit etiam iſta vrina Pin-*
3, epid. *guis, ex colliquatione carnis, et partium car*
com3. *noſarum, vt docet Gal. quæ fieri ſolent in*
com. 72. *pæſtilen-*

pæſtilentibus febribus: tertio ex colliquatione humidi nutrimentalis, vel ſubſtantifici partium ſolidarum: vbi enim tale humidũ colliquatur ab igneo calore, et mixtum fuerit cum vrina, tunc vrina apparet aliquo modo pinguis, vt contingit in tabidis, et hecticis, in quibus ab adurenti calore, colliquatur humidum ſubſtantificum, quod erat pro nutritione corporis, vt apparet in febribus colliquatiuis, et Hecticis: et quomodo dicetis vos cognoſcam ego, an vrina pinguis ſit ex colliquatione adipis, vel carnis? Reſpondeo quod ex pinguedine, vrinæ ſunt oleoſæ, et veluti pinguedo quæ apparet in iuſculis: ſed ſi carnoſæ partes colliquentur, ſupernatant in vrina iſtæ colliquationes, valde viſcoſæ, et vrina non eſt adeo pinguis, ſicuti fit ex pinguedine liquefacta, ſed eſt veluti ius carnis non valde pingue. 8. de cõp. med. c. 7.

Sicuti ſi humiditas partium ſolidarum, fuerit liquefacta, cum illa humiditas non ſit adeo craſſa, et pinguis, adſimilatur tamẽ pinguedini, aqua fit circulus, ſeu corona in Vrina, quæ corona licet ſit aliquantulum craſſa, et viſcida, non tamẽ eſt, vt aliæ duæ differentiæ: et dicit Auic. 2. 1. doct. 3. c. 6 ſimilis eſt auro liquefacto: et quæ nam eſt

cauſa

loeis citatis. cauſa efficiens huius colliquationis: Reſpondet Gal. eſſe igneum, et adurentẽ calorẽ: vbi igitur ab excedenti, et ignea caliditate, colliquatæ fuerint partes carnoſe, aut adeps, ſtatim et foeces alui, et vrina mingitur, et educitur pinguis, et craſſa: hic tamen vnũ notãdũ eſt, quod ſicut pinguedo facilius et citius colliquatur, quã caro, ita quoq; a fortiori calore colliquantur carnes, quam pinguedo: et vbi caro fuerit colliquata, ſignificat maiorẽ aduſtionẽ, et maiorem colliquationem: hic tamen notandum eſt, et quare dicetis vos, ſi colliquatio fit ab adurenti calore, non apparet Pinguis vrina in omni febre Ardenti?

autoris ſolutio. Reſpondeo quod non omnis calor excedens, aptus eſt colliquare, niſi diu perſeueret, et ideo non in omni febre ardenti, niſi diu perſeueret, vrina erit pinguis: ſecũdo dico quod non ab omni igneo calore, fit colliquatio quoniam vbi calor factus fuerit omnino igneus, tunc non colliquat, ſed adurit, et exiccat ſubito omnem humiditatem, vnde nulla fit colliquatio, eſt ergo neceſſarium, vt calor ſit magnus, non tamen valde excedens.

Sed rurſus dicetis vos, eſto quod pinguis & oleoſa vrina, ortum ducat ex colliqua-

tione

tione adipis, vel carnis, et quomodo cognoſcam ego, an iſta colliquatio facta fuerit in vniuerſo corpore, aut tantum in Renibus, vel aliarum partium fuerit liquatio? Reſpondet Hipo. et ibi Galenus in com. quod ſi pinguedo appareat in vrina, et confertim de repente, et ſimul vnitũ in multa copia appareat in vrina, erit à Renibus: Si vero ſenſim fiat, et in pauca quantitate, et diuulſum erit ab alijs partibus: rationem huius ibi reddit Galenus: quoniam vbi ab adurenti calore, liquefacta fuerit pinguedo ipſorum Renum, aut partes humidiores carnis renum: cum renes ſint propinqui, et vicini, et facile id quod eſt in Renibus ſubito mingatur, ita et iſta pinguedo, quæ eſt à renibus confertim et ſubito, tota mingitur cum vrina: Sed vbi liquefacta pinguedo, ſit à partibus magis remotis, impoſſibile eſt vt confertim excernatur, cum ſint remotæ, et valde diſtantes, ideo paulatine, et ſucceſſiue educitur pinguedo, et in pauca quantitate, pro qualibet vice: in alijs enim corporis partibus liquati Adipes, paulatim non vniuerſim exeunt cum vrina: Primum enim colliquefactum pinue, illud in proximas ſibi venas tranſportatur, 7. aph. 35.

tatur,

tatur, deinde in continuas, inde quæ rurſum in alias, atque alias traducitur, donec tandem in Renes perueniat: Renum vero colliquefacti adipis in vrinas traductio celerrima eſt, nec paulatim, ſed confertim, vniuerſimque fit; hæc Gal. dicatis ſecundo quod ſi pinguedo in vrina paulatim excernatur, ſed longo tempore duret, dicatis colliquationem fieri à toto corpore, à febre ardenti, vbi enim adeps totius corporis liquatur, non ita cito mingitur vrina pinguis, ſed non niſi longiori tempore, eo quia longo tempore indiget antequam feratur ad Renes, vt ibi docet Gal. et ſi liquefactio pauca fuerit, tunc pauca pinguedo apparet in vrina, et erit veluti punctura, et gutte olei: dicatis ſecundo hoc cognoſci ex dolore, ſi enim pinguedo ſit à Renibus, ſentitur dolor ſolum in Renibus, et maxima caliditas: ſed clarius Auic. hoc docet, dum dicit ſi pinguedo, quæ apparet in vrina, multa fuerit, & bene ſeparata à ſubſtantia vrinæ, dicamus eſſe à Renibus propter liquefactionē adipis eius: ſed ſi fuerit in minori copia, et valde mixta cũ vrina, erit ex loco remotiori ab vrinalibus vijs ſcilicet à toto corpore: quæ ideo eſt in minori copia, quoniã à febre intēſa

loco citato.

radicata

radicata in membris, exiccatur, et conſumitur illa humiditas, eſt ſecundo valde mixta cum vrina, quia diutius, et longiori interuallo cum ea miſcetur: Iſaac dicit ſi pinguedo ſit à Rene, erit ſine febre, ſi vero à toto corpore erit cũ febre continua, et magna.

parte 5. vrinarum.

Quantum vero attinet ad Iudicium, & quid medicus poſſit præſagire ex vrina pingui. Reſpõdeo, ex Gal. quod vrina pinguis, eſt ſignum Colliquationis, et tales vrinæ prauæ ſunt: et quoniam liquefactio fit ab aduurenti, & igneo calore, ideo ſecundo, iſtæ vrinæ Pingues, ſignificant excedentẽ, et aduurentem caliditatem: tertio ſignificat liquationem pinguedinis, aut partium carnoſarum noſtri corporis, vel ſolidarum, quod ſi Adeps colliquetur, ſignificat exceſſum caloris, ſed ſi caro fuerit colliquata, ſignificat maiorem exceſſum: vbi tamen ſolidæ partes fuerint colliquatæ, ſignificat adhuc maiorem exceſſum caloris: ex hijs ergo colligitis, quod vrina pinguis ex liquatione adipis Renum, indicat, et eſt ſignum adeſſe in Renibus, malam imtẽperiem calidam, ratione cuius maxima fit colliquatio: quod ſi vrina ſit Pinguis ex colliquatione Adipis totius corporis, tunc iudicamus malam intemperiem

1. de criſ. cap. 12. in fine. 2. prog. 23.

calidam totius corporis, quæ nihil aliud eſt, quam febris, & quia non omnis calor potẽs eſt colliquare, niſi magnus, ita nec omnis febris poterit colliquare pinguedinem, niſi vehemens fuerit, & magna, & ardentiſſima: quod ſi iſtæ febres vehementiſſimæ, diu perſeuerent, tunc credendum eſt non ſolum poſſe liquefacere pinguedinem, ſed etiam & partes carnoſas noſtri corporis, & vltimo ſolidas partes, vnde corpus Tabidum, &
2. prog. 36 Heticum fiat, vt docet Hipocrates, dum ſic dicit, ſi vero in vrina Pinguedo deſuper araneis ſimilis ſuperſtet malum eſt. Oſtendit enim corpus contabeſcere: declarat Galenus in comm. quæ nam ſiti ſta pinguedo, quæ dum apparet in vrinaindicat corpus fieri tabidum, ideſt ortum ducere ex liquatione partium carnoſarum, & ſolidarum.

Reſpondet, quòd eſt illa quæ eſt veluti pinguedo, quæ ſuperſtat in ſummo Pinguis iuſculi refrigerati, & nos illam poſuimus in prima differentia: quare vbi vrina mingitur Pinguis, & diu talis perſeuerat, timendum eſt ne corpus contabeſcat & fiat hecticum, vbi vero corpus factũ eſt Tabidum, tunc vrinæ non amplius apparent

rent pingues, et ratio eſt quoniam ab adurenti calore, carnoſæ partes ſunt adeo exciccate, vt non amplius adſit aliqua pinguedo, quæ poſsit liquefieri, vt exemplo carnium dum torrentur, & ſunt torrefactæ docet Gal. & ideo vbi longo tempore vrinæ apparent pingues, ſi poſtea ceſset pinguedo hoc non ſemper eſt bonum ſignum, ſed quandoque deterius, eo quia poteſt eſſe ſignum ab adurenti calore, totam humiditatem fuiſſe conſumptam: dicamus igitur, quod ſi in vrina appareat pinguedo, veluti gutte olei ſignificat paruam colliquationem alicuius partis: ſed ſi in vrina appareat pinguedo ſicuti tela aranee, & ſit febris, dicendum eſt fuiſſe factam inſignem colliquationem, & eſſe principium tabis, eo quia calor adeo auctus eſt, vt ualde timendum ſit ne ſicuti modo adipem colliquat, paulo poſt ne colliquet partes carnoſas, & ſolidas: hic tamen notandum eſt, ne vitio veſicæ decipiamur, vt docet Hipo. eo quia ſi veſica morbo laboret, quandoque talis vrina cum tenuiſsimis illis telis, veluti aranearum excernitur, & tamen non ſignificat futuram tabem:

10. meth. med. cap. ultimo.

2. prog. 38

2. progn. 36. Quare dicamus ſententiã Hipo. non eſſe intelligendam de telis illis tenuiſſimis, quãdo iſtæ tantum abeſt vt ſint læthales, & periculoſe, vt potius ſepiſſime appareant ſine aliqua noxa, immo Cardanus fatetur ſinguls diebus in ſua vrina, iam quadraginta annis ſine vlla noxa vidiſſe illam tenuiſſimã telam in ſuperficie vrinæ, et etiam in alÿs multis.

7. aph. com. 34.

Cardanus 7. aph. com. 34.

Si vero vrina ſit pinguis: quarto modo ſecundum totam ſui ſubſtantiam, iſta eſt cæteris deterior, qualis apparere ſolet ſepe in Hethicis, et Pthiſicis in quibus quamuis nihil ſupernataret proximi tamen erant morti, ſignum eſt enim maximam factam fuiſſe colliquationem.

Vltimo dicatis, quod quandoque vrina pinguis poteſt eſſe bona, et laudabilis, vt ſi fiat concocta materia, in declinatione vniuerſali, & erit critica, vt docet Galenus, et Auic. ſed eſt valde raro, et ſolũ in illis morbis, quorum materia eſt vnctuoſa: hoc autẽ ſic fieri poteſt, vt docet Thadeus 2. prog. com. 35. poteſt enim materia hoc modo eſſe vnctuoſa, quia forte aliquis humor peccat, et cum eo aliquod membrum pingue nocumẽtum recipit: itaquod illa materia facta eſt vnctuo-

3. epid. com. 3. tex. com. 72. Auic. 2. 1. doct. 3. cap. 2.

eſt vnctuoſa, vnde quando illa materia eua cuatur, ſignificatur bona criſis, vt ſi in Renibus ſit materia aduſta, quæ liquefaciat pinguedinem eorum, ex illa pinguedine illa materia redditur pinguis.

De Differentijs, Cauſis, & Iudicijs, Contentorum præter naturam in fundo Vrinę. Cap. VI.

EA quæ continentur, & reſident in fundo matulæ in Vrina præter naturam, ſunt in Duplici differentia, quædam a toto genere præter naturam, ſicuti ſi mulier pariat molam, aut ſerpentem, dicitur à toto genere præter naturam: alia tamen dicuntur præter naturam, ſed non à toto genere, ſed ſolum per aliquem exceſſum, vel defectum, vt ſi mulier pariat puerulum cum quatuor manibus, iſte partus dicitur præter naturam, nõ tamen à toto genere, quia in ſubſtantia, et ſpecie eſt naturalis, ſed peccat in exceſſu, ſicuti ſi pareret illum ſine manibus, peccaret in defectu: ſic et ſedimenta in Vrina, ea dicuntur à toto genere præter naturam, vt ſi quis mingat pus, carnem, are-

nulas,& omnia ea ſedimenta, quæ dicuntur oroba, ſimilacea, furfurea, & laminea.

Sedimenta vero, quæ licet præter naturam reſideant in fundo matulæ, non tamen a toto genere, & a tota ſubſtantia præter naturam ſunt. vt crudi humores, vel materia aduſta, ideſt naturalis hipoſtaſis cruda, & diminute cocta, vel aduſta.

Nobis igitur erit ſermo de Sedimentis, quæ a tota ſubſtantia ſunt præter naturam, hæc autem primo loco ſunt in 4. differentia

2. progn. 29. ſic docet Hipo. dùm ſic dicit, malum vero ſi vrinarum ſedimenta, tamquam farinam craſsiorem repræſentent: Peius vero, ſi quaſi Bracteolas: Tenuia quoque atque alba, ſunt admodum vitioſa, omnium autem peſſimũ, ſi quod ſubſidet furfuraceum eſt: hæc Hipo.

li. 1. de dif. urin. c. 15. quæ quidem ſedimenta per quamdam ſimilitudinem alijs nominibus, ſolent nuncupari ab Actuario, vt Orobũ, furfureum, lamineum: ſimilaceum.

Orobacea ſedimenta ea ratione appellantur, quia orobis ſimilia ſunt, & cum orobum

faſolo, o-ueccia. inter legumina ſit ſub rubrum, et ſub nigrũ, ideo cum ea quæ continentur in fundo vrinæ, ſimilia ſint orobis, in colore, & in figura dicuntur orobacea, et huius ſedimenti

orobei,

orobei, Galenus multis locis meminit: et credo ego eſſe ſedimentum ſecundo loco poſitum ab Hipo. 2. progn. 29. dum dicit peius autē ſi quaſi Bracteolas: Furfureum vero ſedimentum dicitur, eo quia ſimile ſit furfuri bene moliti tritici, vt vere furfures appareant, iſta ſedimenta in vrina. 6. epidem. com. 5. 4. aph. cō. 76 Sembola.

Lamineum dicitur, quod ſimile ſit laminis ſeu ſquammis ſerpentum: vel folijs ſimilis, vt dicit Gal. aut ſquammis metallorum, vt dicit Auic. primo de criſ. ca. 12. prima cāt. tra. 2 tex. 312.

Similaceum autem ſedimentum illud eſt quòd dictum eſt a ſimila: ſimila autem eſt medulla farine triticee, ideſt ea pars quæ media eſt inter pollinem, (quæ vulgo dicitur fior di farina) et ſecundarium, quod quidem ſecundarium, eſt reliqua pars farinæ, non tamen ita optima, et pura, eo quia quatuor ſunt partes molitæ farinæ, vt Pollen. ſimila, ſecundarium, & furfures: hoc enim ſimilaceum ſedimentum, quòd etiam Pultaceum dicitur, eſt illud cuius ſic meminit Hipo. 2. progn. 29.

Malum vero ſi vrinarum ſedimenta, tāquam farinam craſsiorem repræſentent: quòd ſic explicat in com. Galenus, ſignificant partes reſiccati ordei grandiuſculas,

reliquæ farinæ permixtas, quæ exacte frangi conficiq; à mola non potuerunt, quando enim mollitur ordeum, ſunt in eo quædam partes groſſæ, quæ non perfecte molluntur, vnde iſta Hypoſtaſis, aſsimilatur groſsis illius ſimilæ, quæ non ſunt bene molita.

Quantum vero attinet ad ſecundū quæſitum, quæ nam ſint Cauſæ harum differentiarum, Reſpōdet Gal. eſſe intenſam, et excedentem caliditatem, cauſam efficientem horum ſedimentorum: et quomodo dicetis vos, ignea, et adurens caliditas, poteſt eſſe cauſa efficiens horum ſedimentorum? Reſpondet Gal. talia ſedimēta Dupliciter generari à calore igneo, et febrili, primo per aduſtionem, ſecundo per colliquationem, dum ſic dicit Gal, talia ſedimenta ſunt teſtimonium caloris febrilis, ardentis, atque colliquantis, et quæ nam materia eſt iſta, quæ poteſt colliquari, vel aduri à febrili calore, & parere talia ſedimenta? Dicatis ad mentem Gal. locis citatis, eſſe, aut ſanguinem, aut partes carnoſas, vel ſolidas: & quomodo rurſus ſanguis, aut partes carnoſæ, vel ſolidæ, vbi fuerint colliquatæ ab adurenti calore, pariunt talia ſedimēta toto genere præter naturam? Reſpondeo ex Gal. quod Or-

2. progn. com. 29. 1. de criſ. cap. 12.

loco citato.

beum

beum ſedimentum, fit ex craſſo ſanguine in Renibus, aut in Iecore aſſato, et Torrefacto, quare dicendum eſt malam intemperiem calidam Iecoris, aut Renum, ſanguinem adurentem, et in formam Orobi conglobātem: eſſe cauſam efficiētem, et hac ratione Hipo. meminit huius Orobei ſedimenti, in vxore Nicoſtrati, quæ patiebatur magnam Epatis inflammationem: Sanguis enim craſſus, vbi fuerit aduſtus, facile recipit quamlibet formam, et figuram, et cum Renes habeant figuram ipſius Orobei, non eſt ergo mirum, ſi iſte ſanguis craſſus, et aduſtus in Renibus, recipiat formam Orobei, qui mixtus cum vrina apparet in fundo matulæ in formā Orobei, et ſignificat malam intemperiem calidam, Epatis, aut Renum, et maximam factam fuiſſe aduſtionem: hic tamen notandum eſt non ſolum Orobea ſedimenta, fieri ex aduſtione ſanguinis craſſi, ſed etiam vt docet Gal. ex colliquatione carnis, cum enim caro ipſa liquatur, diſſoluaturque facit Hypoſtaſes Oroboides, id eſt ſimiles Orobis, et alibi ſic dicit: colliquatarum autem partiū colorem indicant vrinæ, ſi vrina cum ipſis, et Orobea, et Pultacea tranſierint: ab Epate ſi quidem talia exiſtunt, vel à Renibus,

4. aph. com. 76. Auic. 2. 1. doct. 3. cap. 6

4. epidem.

lib. de vrinis. cap. 26 Galeno adſcriptus.

6. epid. com. 5.

quæ

quæ carnem magis repreſentant: hæc Gal. ex quibus colligamus quòd orobea Hypoſtaſis tunc apparet in vrinis, quando iam ab adurenti, & igneo calore colliquata iam pinguedine, modo carnoſæ partes incipiant conſumi, & colliquari: vnde cum febris magna et ardens fuerit, adeo vt a calore febrili, carnoſæ partes incipiant colliquari tunc cum vrina, in fundo matulæ, ſubſidet quantum de ſubſtantia carnis depaſtum eſt, et liquefactum et dicitur contentum ſimile orobo, quandoque in maiori, quandoque in minori quantitate, et magnitudine, ſecundum maiorem aut minorē vim colliquantis caloris, et pro vt materia colliquata, fuerit magis aut minus ſolida, et Craſſa: ſi enim ſit a renibus, tunc orobum ſedimentum erit, carnoſum magis, et ſolidum, quam ſi ſit ab epate quia caro Renum, ſolida eſt et non cito diſſolubilis, ſicut facile digitis frigatur et diſſoluitur ſi ſit ab Epate vel ſanguine adusto, ſic dicit Auic. nam quādo liqueſit membrum, reſoluuntur ab eo duæ ſubſtantiæ, vna liquida, quæ dicitur virus, alia groſſa, ſicut quando lardum liqueſcit in patella, quedam eius pars ſit liquor, et quædam pars terreſtris, ſit groſſæ partis, et remanent veluti

luti fruſtra, quædam in patella: et quomodo dicetis vos cognoſcam ego, an orobea ſedimenta ſint ex ſanguine aduſto, an ex colliquatione carnis? Reſpondeo cognoſci ex colore quia ſi orobea tendant ad nigredinem, ſunt a ſanguine, ſi vero ad albedinem vergant, ſunt ex carne liquata. Auic. 2.1. doct.3.c.6

Sed cum quandoque orobea Hypoſtaſis, oſtendat conſumptionem, et liquationem ſolum in Renibus, aliquando in toto corpore, et quomodo poſſumus hoc cognoſcere, et diſtinguere. Reſpondet Galenus, quod ſi tale orobeum ſedimentum, fiat in febre acuta, erit paſſio, ideſt liquefactio totius corporis, ſi vero non adſit febris, erit vitium Renũ: cognoſcitur, ſecundo ex coctione, et cruditate vrinæ, vt dicemus infra in furfureo ſedimento. lib. de vrinis cap. 26

Furfureũ vero ſedimẽtũ, quomodo generetur docet Gal. dũ ſic dicit: furfuraceũ ſedimentum, caloris febrilis, ardentis atq; colliquãtis Teſtimonium eſt: et Hypo. ibi in tex. ſic dicit omnium autẽ peſsimũ ſi quod ſubſidet furfuraceũ eſt: ſed eſto dicetis vos, quod iſtud ſedimẽtũ generetur ab adurenticalore quõo hoc fieri ſolet. Reſp. dupliciter, primo per aduſtionem, ſcdo per colliquationem, ſic docet Gal. per aduſtionẽ inquam ſanguinis 2. progn. com. 29. 4. aph. com. 77.

craſsi,

craſſi, præſertim melancolici, nempe ex ſanguine caloris feruore, et vehementia peruſto, et fricto, quare portiones huius ſanguinis valde aduſti, exigue, vt furfures, mixtæ cum vrina excernuntur, et tunc cum illa vrina reſidet in fundo ſedimentum furfureũ, quare indicat febrem Ardentem, et adurentem, et naturalem calorem mutari in igneã naturam, et auctum eſſe plus iuſto: vel ſecundo generatur ex colliquatione, et diſſolutione partium ſolidarum, quæ quidem ſolidæ partes, vbi ab igneo calore adurentur, et depaſcantur, tunc ex earum ſubſtãtia decidunt portiones quædam, quandoque veluti ſquammæ, quandoque vero inſtar furfuris, quæ ſecundum quod maiores, aut minores apparent, ita quoque indicant, et maiorem factam fuiſſe colliquationem partium ſolidarum: quare ſic dicit Gal. quando febris, profunda corporis vaſa corripit, ac dilacerat, Hypoſtaſis fit Pityroides, ideſt quæ habet quiddam ſimile furfuri, quod exilius quidẽ eſt ſquamma, ſed groſſius: dicamus ergo, quod vbi à febre ardenti, et magna, partes ſolidæ contabeſcunt, tunc ex earum conſumptione, partes illarum ſuperficiales decidunt, et mixtæ cum vrina, cum ea minguntur,

lib. de vrinis, & Auicenna 2.1. doct. 3. cap. 6.

guntur, et veluti furfures reſident in fundo matulæ, quod quidem ſedimentum cæteris deterius eſt, quoniam ſignificat febrem maiorem, cum iam conſumat, et occupet partes ſolidas, illas colliquando, et abſtergendo intimam earum ſuperficiem, vnde ſquammæ, et veluti furfures deciduntur.

Hic tamen occurrit difficultas, quoniam iſtud furfuraceum ſedimentum, fit quandoque ſolum vitio veſicæ, ſic docet Hipo. Quibus cum vrina craſſa, furfuroſa quædam vnà exeunt his veſica ſcabie laborat: quomodo ergo dicetis vos, cognoſcam ego an iſta furfurea ſedimenta, quæ apparent in vrina, fiant vitio veſicæ: vel ſint vitio totius corporis, nempe ex conſumptione, et colliquatione partium ſolidarum, totius corporis? Reſpondet Gal. quod dupliciter hoc conoſcitur primo ex febre, ſi enim talis vrina ſit cũ febre, ſignificat vitium totius corporis, ſed ſi fuerit ſine febre, ſignificat vitium veſicæ.

4. aph. 77.

ibi in cõ. & lib. de vrinis. Auic. 2. 1. doct. 3. c. 6.

Secundo cognoſcitur ex coctione, et cruditate, ſi enim vrina tenuis fuerit, et cruda, et ſimul cum tali vrina, ſedimenta furfurea reſideant in fundo, dicatis ſignificare totius corporis conſumptionem: Sed ſi vrina optima fuerit in ſubſtantia, et in colore,

dicatis

dicatis illa furfurea ſedimenta fieri ſolum vitio veſicæ, eo quia veſica ſcabie laborat, ſed in venis nullum adeſſe vitium, cum vrina in reliquis ſit concocta, & bona.

Sed qua ratione, vbi veſica ſcabie laborat, furfurea ſedimenta appareant in Vrina, licet hoc alibi à nobis fuerit declaratum, pro nunc ſat ſit dixiſſe, quod vbi veſica ſcabie laboret, furfuroſas cuticulas vna cum vrina emittunt, quæ poſtea reſident in fundo matulæ, ſicuti enim cutis ipſa noſtri corporis tenue quiddam (cuius modi eſt quæ ſerpentum ſenectus appellatur) per ſcabiem lepram, et lichenas abijcit, ac deperdit, quod ſimile eſt furfuri, ita quoque cum pars aliqua interna, ſimili aliquo vitio, quo cutis laborat, tunc etiam furfuroſa quædam admittit, ac abijcit, ſicuti contingit in veſica, dum ſcabie laborat: cognoſcitur autem, an ſint à veſica, vel à Renibus, vel alijs partibus iſta furfurea ſedimenta, vt docet Auicenna.

4. aph. com. 77.

2. 1. doct. 3. cap. 6.

Quoniam iſta furfurea ſedimenta, ſi fuerint Alba, aut Rubea, ſecundum plurimum, et magna, ex parte ſignificant quod ſeparantur à membris propinquis vijs Vrinæ, vel ab ipſiſmet Vrinæ vijs ſcilicet

albæ à Veſica propter euacuationem, vel corroſionem, vel ſcabiem eius: et rubeæ carnoſæ à Renibus propter vlcus, aut corroſionem in eis

Cognoſcimus autem furfurea ſedimenta, quæ apparent in vrina, eſſe ex ſcabie veſicæ, primo ex pruritu, qui ſentitur in radice membri, ſecundo ex fœtore Vrinæ, tertio, quia ante furfurea excrementa, prius mingitur Pus.

Lamineum ſedimentum, eodem modo generatur, à vehementi calore, ex conſumptione partium ſolidarum, ſicuti generatur furfureum: cum enim à magna, et aduren ti febre, partes ſolidæ contabeſcunt, tunc eius partes ſuperficiales ſeparatæ à reliquis, 1. de criſ. cap. 12. *et mixtæ cum vrina, reſident in fundo matulæ, et quia ſimiles ſunt laminis, aut ſquāmis ſerpentum, aut folÿs arborum, ideo iſtud ſedimentum dicitur lamineum: diſtinguitur vero à furfureo, eo quia in lamineo portiones partium ſolidarum excernuntur latiores, et tenuiores: in furfureo vero minores, ſed craſſiores: ſic docet Gal. primo de criſib. cap. 12.*

Sed eſto dicetis vos, quod Lamineum ſedimentum ortum ducat, ex conſumptione

partium.

partium ſolidarum, cum iſta conſumptio poſſit fieri, aut in vniuerſo corpore, ita vt lamineum iſtud ſedimentum, oriatur ex conſumptione partium ſolidarum totius corporis, vt diximus, vel ſecundo poteſt fieri, et apparere in vrina ſolum vitio ipſius veſicæ, vt docet Hipo. Si quis ſanguinem, aut pus, aut ſquammulas, meiat, et grauis odor adſit veſicæ exulceraiio ſignificatur: quomodo ergo cognoſcam, an lamineum ſedimentum, quod apparet in vrina, ortum ducat ex conſumptione partium ſolidarum, facta in toto corpore, vel fiat vitio veſicæ, eo quia ſit exulcerata? Reſpondeo ex Gal, ſi cum vrina xcernantur veluti ſquãmæ, adſit febris totius corporis eſt vitium, eo quia membra ſolida ſunt affecta abraduntur primum, vt plurimum, et faciũt dictas vrinas: ſi vero non adſit febris, indicat vitium veſicæ: cognoſcitur etiam ex coctione, et cruditate vrinæ, vt diximus de furfureo, cognoſcitur etiam ex alÿs ſignis, quæ oſtendunt veſicam eſſe exulceratam, vt Pus, dolor, &c. hæc autem ſedimenta laminea, deteriora ſunt quàm furfurea.

4. aph. 81.

lib. de vrinis. c. 27.

Auic. 2. 1. doct. 3. cap. 6.

Similaceum ſedimentum, quod ſimile eſt craſſæ farinæ, duarum affectionum eſt inditium,

tium, ut docet Gal. vel grandis colliquationis, aut caliditatis æſtuoſe, quæ ſanguinem adurit, ex quibus verbis colligo tale ſedimẽtum, generari tamquam a cauſa efficienti, a calore magno, igneo, & adurenti, qui quidẽ calor duobus modis poteſt parere iſtud ſimilaceum ſedimentum, aut primo per colliquationem, aut ſecundo per aductionem ſanguinis, eo modo quo dix. de orobeo; ſed ſi ortum ducat ex colliquatione, conſiderandũ eſt, an fiat ex colliquatione partium carnoſarum, vel ſolidarum: Reſpondeo quod & ſi quidam crediderunt fieri ex colliquatione partium carnoſarum, melius tamen dicẽdum eſt, ortum ducere ex colliquatione partium ſolidarum, quod docet Gal. (ſiue quis fuerit author ille) lib. de vrinis, dum ſic loquitur: quando febris profunda corporis vaſa corripit, ac dilacerat, fit ſedimentum furfureum, ſed ſi febris longe, lateque maiori vi, quam in ſuperioribus vitÿs, ſolida membra corripuerit, facit deteriora ſedimenta, quæ vocantur Crimnodea, ideſt farinæ, ſiue etiam ſpumæ ſimilia, quæ duo ſignificant, aut cremationem ſanguinis, aut liquationem nimiam ſolidorum: hæc Galenus: idem etiam docet Actuarius: & quoniam in iſto ſimila-

1. de criſ. cap. 12.

Leo Roganus. lib. 1. de cauſ. vrin. ca. 8. Thadeus. 2. progn. com. 28. Gordoni. de vrinis cap. 26.

Lib. 1. de iudi. urin. cap. 10.

& Theophilus li. de urinis. *ceo ſedimento, maior facta eſt conſumptio partium ſolidarum, quam in reliquis hinc etiam factum eſt, vt ſit deterius quam cætera ſedimenta, & ideo vel ardentiſſimas febres oſtendit, que ſanguinem adurunt, aut tabidasq. ſolida membra conſumunt: hoc autem ſedimentũ, quandoq. eſt læthale, aliquãdo vero ſignificat morbi longitudinem, ſic*

7. aph. 31. *docet Hipo. quibus febriẽtibus, in vrinis Pultacea fiunt ſedimẽta, longã ſignificãt ægrotationẽ: quæ quidẽ ſententia ſic eſt intelligẽda, quod ſimilaceum ſedimentũ, quod reſidet in vrina, ſi fiat ex colliquatione partiũ ſolidarũ, quoniã oſtendit magnã colliquationẽ, & partes ſolidas iã eſſe tabefactas, ideo eſt ſignũ læthale, vt exẽplo ſileni docet Hip. in quo ap*

1. Epidem. *parente tale ſedimento mortuus eſt in 11.*

Sed ſi ortum ducat ex ſanguine aduſto, tunc ſignificare poterit morbi longitudinẽ, eo quia æger in quo apparet ſimilaceum ſedimentum, quod ortum ducat a ſanguine aduſto, aut morietur, aut non ſanabitur niſi longo tempore, ſicuti exemplo illius ægri qui ter

3. epidem. *tio loco ponitur ab Hipo. in horto dealcis, qui minxit talia ſedimenta, & 40. die iudicatus eſt: ratio vero huius, talis eſt quoniã ſanguis ille, qui aduſtus ab adurenti calore*

in

in melancoliæ naturam tranſiens, (eo quia ſanguis per aduſtionem fit melancolia) non poteſt niſi longo tempore concoqui a natura, ideo ſi morbus futurus eſt ſalubris, non poteſt niſi longo tempore ſanari, & ſi dicatis, & quomodo conoſcam ego, an iſtud ſedimentum ſit ex colliquatione, vel ex ſanguine aduſto? Reſpondeo ex Gal. cognoſci ex colore, ſi enim ſedimenta talia ſimilacea alba ſint, erunt ex liquatione partium ſolidarum, ſed ſi fuerint rubea, erunt ex ſanguine. Lib. de vrinis Auic. loco citato.

Si dicatis Plures aliæ ſpecies horum contentorũ in vrina, connumerãtur ab Auic. & Raſi, dicatis, quod iſtæ hic poſite, ſunt deteriores, & que frequentius fiunt. 1. can. cap de hipoſtaſi. 4. canõ. cap. de hipoſtaſi. Raſis 10. ad Almãſ.

Quod ſi querat quiſpiam veſtrum, cum quandoq; ſimul cũ vrina, excernantur exigue carunculæ, aut veluti Pili, quid ergo medicus, ex ijs poteſt præſagire Reſpondet Hipo. quibus cum urina craſſa, exiguæ carunculæ, aut veluti Pili, exeunt his a renibus excernuntur. 4. aph. 76.

Pro cuius quidem rei maiori declaratione, hic duo veniunt conſiderãda, primo quid Hipo. intelligat per carũculas, & per pilos, & quõ generẽtur, ſecundo quid poſſit medicus ex dis præſagire: Quoad primũ ꝑ Carũculas,

duo intelligit Gal. primo veram carnem, & ſubſtantiam ipſorum Renum, vbi enim renes multum fuerint exulcerati, ab humore aliquo corrodente, & exulcerante, tunc aliquæ particulæ carnoſæ ipſorum renum ſeparantur, quæ mixte cum vrina excernuntur, & apparent in fundo matulæ, iſtæ ergo caruncule, vbi apparent in vrina ſignificant exulcerationem renum, & adeſſe vlcus in renibus: has tamen veras carunculas numquam vidiſſe in vrina fatetur ibi Gal. vbi tamen adſit maſsima renum exulceratio, tunc aliqua portio veræ carnis renum ſeparari poteſt, & cum vrina educi, ſic dicit Gal. vel ſecundo per carunculas, non intelligimus veram carnem, ſed quid ſimile carni renum, in colore, & in ſubſtantia, quæ ſolent generari ex ſanguine craſſo, vbi fuerit ſuper aſſatus in Renibus, a mala intemperie calida ipſorum renum, de quibus ſic dicit Gal. veluti carunculæ ſepius viſæ ſunt, in ijs febribus, in quibus erui ſpecie ſedimenta in vrina, ex craſſo ſanguine in renibus, aut in iecore aſſato, & torrefacto; & ſi hoc ſecundo modo accipiamus carunculas, dicamus eſſe humores aduſtos, in ſimilitudinem oroborũ, aut carnis, & ſignificant malam intemperiem

Loco citato.

riem calidam renum, & copiam crudorum humorum; & quomodo dicetis vos cognoſcā ego, an iſtæ caruncul æ quæ apparent in vrina, ſint vera caro, aut quid ſimile: Reſpondeo hoc facile cognoſci, quoniā ſi remoueas iſtas carunculas ab vrina, & fricabimus manu, aut aliquo inſtrumento, ſi erunt orobacea excrementa, facillime diſſoluuntur, tamquam res colliquata; ſed ſi caro renum fuerit, vt in vlceribus renum, tunc id quod reſidet in vrina, non per colliquationem, ſed per ſolutionem continui decidit, & ſeparatur, & quantum vis ea manu fricentur, non diſſoluuntur ſed remanent.

Sed quid intelligat Hipo. per Pilos Reſpōdeo intelligere corpora quædam, gracilia, in lōgum protenſa, ad ſimilitudinem pilorum, ſimul cum vrina emiſſa, quod ſi dicatis & quomodo generantur iſti veluti pili. Reſpondeo cauſam materialem, eſſe humorem craſſum, & pituitoſum, cauſa vero efficiens, eſt caliditas magna, intenſa, & adurens: vbi ergo in renibus, reperiatur materia craſſa, & viſcida ſi Renes fuerint ex calefacti plus iuſto tunc a mala intemperie calida ipſorum renum, iſta materia aduritur, quæ vbi fuerit exiccata, & torrefacta, ad figuram re-

Galen. 4. aph. 76. Auicen. 2. 1. doct. 3. cap. 6. Raſis. 19. Almanſ. cap. de vrina.

num excernitur ob longa, veluti Pili, nam iſte humor craſſus, in renibus ſiccatus, & torrefactus, pili ſimile nanciſcitur concretionē, qui mixti cum urina, apparent in fundo matulæ: quod autem iſta materia, quæ excernitur ad ſimilitudinem capillorum, craſſa ſit, & viſcida, hoc oſtendit vt docet Gal. ratio curandi, nam ægrotantes, qui cum vrina excernunt hos quaſi pilos, curantur & ſanantur medicamentis attenuantibus, & incidentibus, & ſimiliter ratione victus attenuante, & incidente, hoc autem indicat materiā eſſe craſſam, & viſcidam: probatur hoc idē ſecundo, quoniam illa vrina in qua veluti pili excernuntur, ſemper eſt vrina craſſa, eo quia cum illa vrina, euacuat natura pituitoſum, & craſſum humorem, quem vene cumularunt, et per renes ad veſicam tranſmittit: & ſi dicatis docet Gal. hos veluti pilos, qui apparent in vrina, generari per aduſtionem in venis, ergo non in renibus, et ſi in vtroque loco generantur, quomodo ergo docet Hipo. ſignificare malam renum diſpoſitionem, Reſpondeo generari in venis materialiter, eo quia materia ex qua generantur veluti pili agregatur, et generatur in venis, formaliter tamen fiunt in renibus, quia iſta

in. com. (beside "& viſcida")

1. de locis aff. (beside "mittit")

4. aph. 76. (beside "docet Hipo.")

mate-

materia craſſa delata ad renes, ibi aſſata, et concreta, recipit ſimilitudinem, & formam pilorum: dicamus igitur, quod iſti veluti pili in vrina, ſignificant atque demonſtrant, malam intemperiem calidam ipſorum renum, et copiam crudorum humorū, in renibus reperiri.

De Arenulis apparentibus in Vrina.

CVm quandoque, ſimul cum vrina, appareant in fundo matulæ Arenulæ, ideo de differentijs, cauſis, et indicijs earum dicendum eſt.

Quantum attinet ad differentias, aut ſunt albæ, uel rubee: ſed quomodo generentur. Reſpondeo aliquādo generari ex ſanguine aduſto, ideſt ex aduſtione ſanguinis in uenis, aut in epate, et tales apparent in ardentibus febribus, et in leproſis, magna tamen ex parte generantur tamquam ex materia, ex humore craſſo, et viſcido; cauſa uero efficiens eſt caliditas intenſa, et magna, locus vero in quo generantur; ſunt renes: Concludamus ergo, cauſam efficientem arenularum, eſſe malam intemperiem calidam renum, vbi enim in renibus reperiatur copia humoris crudi, et craſſi, Gal. 6. Epidem. cō. 1. com. 5. Paulus li. 3. cap. 45.

ſtatim generantur arenule ab intenſa caladitate renum: quod ſi vie ſint aperte, & facultas expultrix renum valida ſit & potens expellere dictas arenulas, tunc ſimul cum urina minguntur: ſed ſi viæ per quas educitur vrina fuerint obſtructæ, aut facultas expultrix renum debilis ſit, tunc illæ arenulæ, remanent in renibus, et eius cauitatibus, et ſic dum de nouo generantur, et inuicem vniantur, fit lapis, et calculus, qui generatur in Renibus, dum in eis humor crudus, et craſſus aſſatur, et exiccatur, non ſecus ac ex luto in fornace, fiunt vaſa: ſed non ſolum in renibus, ſed etiam in veſica, eodem modo generatur calculus, et arenulæ: ſi ergo dicetis vos arenule Rubee, quandoque generantur in renibus, et aliquando per aduſtionem ſanguinis in venis, et quomodo cognoſcam ego, an Arenulæ rubee quæ minguntur cum urina, et apparent in fundo matulæ, ſint a renibus, vel a venis? Reſpondeo quod ille Arenulæ debent in vmbra ſiccari, ſi ſint mollia et tractabilia, aduſtionem ſanguinis in venis ſignificant, ſed ſi aſpera fuerint, et dura ſupra renes atteſtantur.

Et quomodo cognoſcam ego, an Arenulæ quæ apparēt in fundo matulæ, ſint a renibus,

vel a veſica? Reſpondet Auic. et Raſis, quod arenulæ rubee, ſunt à Renibus, non Rubee vero a veſica, ut ſi fuerint albæ, aut terree, aut veluti lutum: ratio vero cur Arenulæ in renibus ſint rubee, eſt quoniam renes in colore tales ſunt, veſica vero vergit ad albedinē.

2. 1. doct. 3. cap. 6. Raſis 10. Almanſ.

Quid ergo Medicus præſagire poteſt, apparentibus arenulis in vrina? Reſpondet Hipo. quibus in vrina ſubſident ſabuloſa, ijs veſica calculo laborat: ſed Galen. in com. dicit non ſolum ſignificare calculum in veſica, ſed etiam in renibus, ideo dicit Auic. quod Hypoſtaſis arenoſa ſemper ſignificat lapidem, qui conſolidatur ideſt indurari incipit, aut conſolidando procedit, ideſt, eſt in augumento ſue indurationis, aut qui reſoluitur, ideſt declinat, et comminui incipit: idem fatetur Auuer. quod ſignificāt arenulæ aut lapidem fractum, aut incipientem coagulari, quod ſi contrarium aſſerere videatur idem Auic. dum ſic dicit in illo in quo eſt ſedimen arenoſum, non aggregatur lapis, quoniam materia non eſt concreta, et neque aduenit ei cauſa iterum plurima: Reſpondeo quod Arenulæ reſidentes in fundo matulæ, lapidem ſignificant aptu, vel aptitudine, ideſt ſemper aptæ ſunt parere lapidem, niſi

4. aph. 79.

Loco citato & prima cant. tractat. 2. tex. 315.

4. collig. cap. 24.

3. 18. tra. 2. cap. 17. & 18.

niſi viæ adeo ſint aperte, et facultas expultrix ita ualida, vt tote excernantur ſimul cum vrina, et tunc lapidem non pariunt, ut ibi dicit Auicen. dum ergo libere exeunt, et ſimul non colliguntur, et vniuntur in renibus, aut in veſica, nec dolorem inferant, neque in exitu ſuo, nec ante exitum, non ſignificant lapidem, ſed purgationem renum, aut veſicæ, et maſsimam caliditatem illarũ partium, cum copia crudi, et craſsi humoris, et hoc frequentiſsime videmus in hominibus calidorum renum, et calidi epatis, qui vrinam mingunt fere ſemper cum arenulis, ſine calculo, et dolore: ſed ſi Arenulæ mingãtur cum dolore renum, aut veſicæ, et ſtrãguria, ſignificat lapidem fieri, vel comminui in renibus, aut in veſica, nam quando fit, et ad huc tener eſt lapis, facillime ab eo ſeparantur arenule, vel ex motu, vel ex inciſione facta ab vrina, et ſimiliter indeclinatione ipſius, ſed vbi lapis iam eſt confirmatus, vrina non eſt amplius arenoſa, et ideo ſi poſt vrinam arenoſam, et turbidam, quæ lapidem ſignificat, appareat vrina clara, tenuis, et ſine arena, adſit tamen dolor in renibus, aut in veſica dicatis ſignificare lapidem confirmatum, et induratum, qui non comminuitur in

aliqua

qua ſui parte, ideo non apparent arenule: ſic docet Gal. et Auic.

1 interiorũ. cap. 1. loco citato.

De differentijs, Cauſis, & Iudicijs Vrinæ turbidæ. Cap. VII.

VRina Turbida, eſt ĩ triplici differẽtia, aut enim mingitur turbida, ſed paulo poſt reſidet, et redditur clara: vel ſecundo mingitur turbida, et remanet turbida: aut tertio mingitur clara, ſed ſtatim redditur turbulenta.

Gal. 1. de criſ. ca. 12. Auic. 2. primi doct. 3. cap. 3.

Sed pro maiori declaratione huius rei, hic primo videndum eſt, quæ nam ſit cauſa, vt vrina ſit turbida, ad hanc autem difficultatem, Reſpondet communis opinio, cui videtur aſſentire Gal. quod cauſa materialis Turbulentie, eſt flatus mixtus cum vrina, cauſa vero efficiens eſt agitatio, et perturbatio illius vrinæ: quare ubi flatus mixtus fuerit cũ urina, et talis vrina fuerit agitata, ſtatim redditur turbida. et quomodo dicetis uos, generatur iſte flatus, et miſcetur cum vrina? Reſpondet Gal. fiunt iſte vrine turbide, craſſam, ac denſam materiam agitante calore, atq; in ea ſubigenda occupato, nam iſta materia a calore etiam externo agitata, flatuoſum ſpiritum concipere, et edere videtur: ſicuti Bitumen, Pix, et Reſina, hæc Galen. quæ

1. de criſ. cap. 12. 4. aph. com. 70.

4. aph. 70. lib. de urinis Gal. adſcriptus. cap. 3.

quidem

quidem ſententia ſic eſt intelligenda, quod ſolum in morbis pendentibus ab humoribus crudis, craſsis, et viſcidis, fiunt vrinæ turbidæ, qui quidem humores dum concoquuntur, et alterantur a calore naturali, et febrili, dum maxima fit pugna inter iſtos duos calores, iſta materia viſcida, agitata ex tali agitatione, generantur multi flatus, et eleuantur a tali materia, qui mixti cum vrina, reddunt illam turbidam, et ſecundum maiorem aut minorem copiam flatus, magis aut minus apparet turbida, et longiori vel breuiori tempore, ſecundum quod citius aut tardius illi flatus diſſoluuntur: quare Turbida vrina indicat magnam agitationem humorum in uenis a calore, quæ quidem agitatio fieri poteſt, et a calore naturali, et a non naturali, ſi enim vrina ſit turbata in principio morbi, erit peſſima, quia eſt ſignum quod calor naturalis, non aggreditur coctionē humorum, ſed calor non naturalis dominans calori naturali, qui permiſcet et perturbat totam maſſam humoralem, unde apparet vrina ſub iugalis: et cauſa huius, eſt calor igneus putredinalis dominans calori naturali, qui ſublimat materiam ad corruptionem.

Iſta tamen communis opinio, non videtur

tur vndequaq; vera, & ratio dubitandi eſt, primo quoniam flatus mixtus cum materia, non parit niſi ſpumam, præſertim vbi illa materia fuerit agitata vt diximus ſupra: cap. 4. *niſi dicatis quod a maiori copia flatus, generatur ſpuma, a minori vero turbulentia: contrarium tamen docet Gal. et docuimus nos* 2. aph. 45. *ſupra, quod ex maiori vel minori copia fla-* 7. aph. 30. *tus, generatur ſpuma, in maiori vel minori* 34. *quantitate, ergo non turbulentia: et eo magis quia ſi per te, ab eadem cauſa fit ſpuma, et turbulentia, ergo ſemper vrina turbida erit ſpumoſa, et econtra: ſecundo ſequeretur quod in omni febre pituitoſa, vt quæ pendet ab humore craſſo, et viſcido, dum agitatur a calore, et eleuantur flatus, ſemper vrina appareret turbida, et tamen non eſt verum: tertio quia ex materia quantum vis craſſa, agitata a motu, vel a calore, (niſi aliquid cũ ea extrinſecus miſceatur) nõ generatur niſi ſpuma, et non fit turbida: ergo nec vrina poteſt fieri turbulenta a ſolo flatu, nec a ſola agitatione: et ſi dicatis hoc eſſe verum de flatu tenui, ſed a ſpiritu flatuoſo, et craſſo, vrina redditur turbida: contra quoniam ad mentem Galeni, et ſecundum communem opinionem demonſtrauimus ſupra, quod e-* Cap. 4.

tiam

cap. 4. *tiam a ſpiritu craſſo, non generatur niſi ſpuma, quæ ob ſpiritus craſſitudinem, difficillime ſoluitur, & diutius perſeuerat.*

Quare dicatis cum Auic. Reſpondēdo ad
2. primi doct. 3. cap. 3. *quæſitum, quod turbulētia vrinæ, eſt propter terreitatem, cum ventoſitate, quæ acquoſitati admiſcetur: cum enim miſcentur inuicē, ſtatim ſequitur turbulentia, ſicuti ex eorum ſeparatione ab inuicem, ſit claritas: ſicuti enim in mari, et in fluminibus videmus aquas turbari, cum vento agitantur, et terreſtreitatibus immiſcentur: et ſi dicat quiſpiā veſtrum, quod ſola terreſtreitas, per acquoſitatem diffuſa, ſine vllo flatu aut ventoſitate, turbulentiam parit, vt miſcendo cineres, aut terrā cum aqua, Reſponderet Auic. quod licet hoc ſit verum, tamen flatus et ventoſitas, eſt in cauſa vt turbulentia diutius perſeueret, eo quia prohibet deſcenſum illius terreſtreitatis ad imas partes, et illas comiſcendo cum aqua, eſt in cauſa vt diutius turbida perſeueret, ſic docet experientia quòd terra mixta cum aqua, ſi non fuerit agitata, ſtatim deſcendit ad imum vaſis, et aqua redditur clara, ſed ſi moueatur, ex tali agitatione permanet turbida, quia terra non ſeparatur ab aqua: quare dicamus, quod vri-*

na a ſolo flatu nō redditur turbida, ſed ſicuti aqua ex ſola agitatione nō ſit turbulēta, niſi cū ea miſceatur aliqua ſubſtantia diuerſi generis, ut cineres, pulueres, terra, ita quoque et urina nō poterit eſſe turbida, niſi admixta fuerit aliqua ſubſtātia terreſtris, et fæculenta: et quæ nā ſūt iſta corpuſcula terreſtria, et craſſa, quæ mixta cū urina, reddūt illā turbidā? hoc non docet Auic. ſed quidā dixerunt ad iſtā difficultatem, talia corpuſcula generari ex flatu, cum enim vrina turbulenta ſit cruda, et ratione cruditatis, multi generātur flatus ī diminuta cōcoctione, a debili calore, iſti autē flatus mixti cū vrina, a frigiditate aeris ambientis condenſati, cōuertuntur in humorem, qui humores craſſiores, mixti cū urina, reddunt illam turbidam, et craſſam.

Quæ quidē opinio, nō videtur vndequaq; tuta eo quia oīs urina cruda, ī principijs morborū ſecūdū iſtā ſentētiam appareret turbida cū in prīcipio morborū, materia exiſtēte cruda a debili calore et diminuta cōcoctiōe multi generātur flatus, qui mixti cū vrina, et cōdenſati a frigiditate ambiētis, parerent turbulētā vrinā: ſecūdo augetur difficultas, quoniam non omnis ſubſtantia mixta cum aqua, reddit illam turbidam, niſi terrea ſit,

& magis

et magis craſſa quam aqua: exemplo ſit vobis quod ſi vinum miſceatur cum aqua aut aquam miſcendo cum aqua, nulla fit turbulentia, cum ergo ille humor generatus ex flatu per refrigerationem ambientis, ſit magis tenuis quam vrina, ideo videtur impoſsibile vt vrina, ab illa humiditate reddatur craſſa aut turbida.

Quod ſi tueri velimus ſententiam Auic. dicendum eſt talia corpuſcula, quæ miſcentur cum vrina, eſſe humores peccantes coruptos, vbi enim humores vtiles permiſceantur cum inutilibus in venis, tunc fit iſta turbulentia, et confuſio, ob maſsimam agitationem quæ fit a calore, qui perturbat totam maſſam ſanguineam: vbi ergo, facta fuerit maſsima agitatio humorum exiſtentium in venis, tunc permiſcentur humores vtiles, cum in vtilibus, quare ex tali confuſione, vrinæ minguntur turbidæ: ſtatim vero quod ceſſat iſta agitatio, et facta ſit ſeparatio boni à malo, vrina fit clara: Quoniam tamen in principio morborum, ſemper humor peccans, mixtus eſt cum bono, & maſſima fit agitatio humorũ, et nõ tamẽ ſemper in principijs omniũ febriũ vrina mingitur turbida ideo iſta ſententia nõ videtur vera.

Reſpon-

Reſpondeatis igitur alio modo ad quæſitum quod vrina fit Turbida, per extinctionem caloris, & reſolutionem ſpirituū: vbi enim naturalis calor ipſius vrinæ extinguatur, & ſpiritus reſoluantur, ſtatim redditur Turbulenta, et obſcura: ratio vero huius rei talis eſt, quoniam ſicuti res ipſæ claræ, et lucidæ ſunt a ſpiritibus, præſertim vbi ſpiritus puriſſimi ſint, et ſeruent propriam naturam, ita res eædem dicuntur nigræ, opacæ, et turbidæ, propter reſolutionem ſpirituum, eodem modo quo nos ſupra dicebamus lib. 1. c. 6. *de ſanguine, quod vbi cum ſanguine reperiatur maxima copia ſpirituum, & caloris, apparet tenuiſſimus, lucidus, & ſplendidus, ſed vbi ſpiritus reſoluantur, & calor extinguatur, ſicuti contingit in ſanguine extra ucnato, ſtatim redditur niger, ideſt obſcurus, et turbulētus, ita quoq; cōtingit in vrina quouſq; enim naturalis eius calor, et ſpiritus cōſeruantur, remanet clara, & lucida, ſtatim vero quod eius ſpiritus reſoluūtur et calor extinguitur, fit obſcura, et turbida, et ideo talis vrina turbida ſemper eſt mala, et lætha lis, quoniā ſignificat extinctionē caloris, et reſolutionē ſpirituum: et ſi dicatis vos, quænam eſt cauſa vt quandoque ſpiritus reſol-*

uantur, et calor naturalis extinguatur: Reſpondeo hoc fieri per corruptionem, & putrefactionem ſanguinis, et vrinæ, vbi enim ſanguis, et humores exiſtentes in venis putreſcant, ſtatim reſoluuntur ſpiritus, et extinguitur naturalis calor, quare et vrina mixta cum ſanguine, patitur eandem alterationem, et ammittunt proprium ſplendorem, et viuacitatem ſui coloris, vt res putrefactæ: quare vbi mingitur Turbida dicitur læthalis, quia ſignificat internam putrefactionem ſanguinis, et humorum exiſtentiũ in venis, et eo magis ſi fuerit cum virtute debili, ergo dicetis vos in omni febre putrida, erit vrina turbida, quod tamen eſt falſum: Reſpondeo quod vrina turbida, nõ ſignificat actualem putredinẽ ſanguinis, et humorum exiſtentium in venis, eo quia cauſa Antecedẽs in febribus, quæ dicitur cruda, et cõcoquitur, cũ qua mixta eſt vrina, nõ actu putreſcit, ſed ſolũ eſt in potentia propinqua ad futuram, et actualem putredinem: ex ijs facile reſpondeo ad difficultatem, quod vbi cauſa antecedens, id eſt tota maſſa ſanguinea, et humores exiſtentes in venis magnis, ſuperantur à calore non naturali, et febrili, vt ſint in potẽtia valde propinqua ad actualem

lem putredinem, et ideo ſit fere inepta ad cō coctionem, tunc ſpiritus reſoluuntur, et naturalis calor extinguitur, ideo et vrina mixta in venis cum iſtis humoribus, mingitur obſcura, et turbulenta, quia tamen hoc non contingit in omni febre putrida, vt humores ſint in potentia adeo propinqua ad actualem putredinem, ſed ſolum in febre peſtilenti, et mali moris, ideo non in omni febre putrida, ſed ſolum in putrida mali moris, vrina redditur turbulenta: vel ſecundo dico ad argumentum, verum eſſe in omni febre putrida, vrinam mingi turbidã, eo quia omnis febris putrida eſt peſtilēs, et mali moris, non enim humores putreſcunt in omnibus febribus, ſed ſolum in peſtilentibus quare febres ſalubres, quæ vulgo putridæ dicuntur, nõ ortũ ducunt ex humorum putrefactione, ſed ſolũ ex eorũ excalefactione, eo quia .ſ. humores ſint excalefacti plus iuſto, et ideo in illis, vrina nõ mingitur Turbida.

Sed quare dicetis vos, magna ex parte in febribus peſtilētibus, vrina mingitur clara, et optima, et tamen cũ tali vrina moritur æger, non ergo videtur verũ vrinam reddi turbidã ex putredine humorũ: Difficultas eſt grauiſſima, nec video quid dicendũ, niſi

forſan dicatis, vrinam nō reddi Turbidam ex putredine omnium humorum; niſi humores putreſcant in venis magnis, quia ergo in febribus peſtilentibus, humores putreſcunt ſolum in venis circa cor, & non in venis magnis, ideo nulla apparet turbulentia in vrina, ſed vbi etiam, in aliquibus peſtilentibus humores putreſcant in venis magnis, tunc in illis vrina apparet Turbida: dicamus igitur quod omnis vrina turbida, eſt cruda: ſic decet Galenus.

1. de criſ. cap. 12.

Declarauimus hactenus, quæ nam ſit cauſa vt urina ſit turbida, ſed cum talis vrina ſit in triplici differētia, vt dicebamus à principio, videndum eſt igitur, quæ nam ſit cauſa iſtarum differentiarum.

Reſpondeo quod ſi vrina mingitur Turbida, et talis perſeueret, ſignificat factam fuiſſe maximam reſolutionem ſpirituum, et naturalem calorem humorum, et vrinæ, proximum eſſe extinctioni, ideo mingitur turbida, & ita Turbida perſeuerat, quia calor præter naturam omnino dominatur: Sed ſi mingatur clara, & paulo poſt mictionē fiat turbida, hoc eſt ſignum non eſſe factam tantam reſolutionem, nec naturalem, calorem eſſe adeo proximum extinctioni, ſicuti in pri-

ma vrina, licet tamen ſpiritus, et calor cum tali vrina, paucus ſit, nõ tamen eſt adeo debilis, quin aptus ſit conſeruare Vrinam clarã, in venis, & in veſica, ueluti in proprio loco: ſed vbi talis vrina mingitur, et fuerit extra proprium locum, tunc à frigiditate aeris ambientis corrumpitur, ille debilis calor vrinæ, et ideo tũc vrina ſtatim poſt mictionem, redditur turbida, & ideo ſicuti prima vrina, ſignificat maximam humorum putrefactionem in venis, et dominium caloris non naturalis, ratione cuius ſpiritus reſoluuntur, et naturalis calor proximus eſt extinctioni: quare humores in venis, et vrina mixta cum humoribus, turbida eſt, et talis mingitur, ita et iſta ſecunda differentia vrinæ Turbidæ, licet idem ſignificat, indicat tamen minorem putredinem, et ex conſequenti minorem ſpirituum reſolutionem.

Quod ſi vrina mingatur Turbida, et paulo poſt mictionem reddatur clara: Reſpondeo quod talis vrina potius dicitur craſſa, eo quia redditur turbida, quoniã cum ea mixta eſt aliqua materia craſſa, et crudi humores, qui vbi fuerint mixti cum vrina, reddunt illam craſſam, et quaſi turbulentam, et ideo mingitur turbida, ſed quoniam poſt

mictionem illi humores crudi, & craſſi ſeparantur ab acquoſitate vrinali, et reſident in fundo matulæ, ideo illa vrina poſt mictionem redditur clara, cuius ſignũ eſt quod ſi talis vrina, poſtquam facta fuerit clara, agitetur, et cõmoueatur matula, ſtatim redditur turbida, eo quia illa materia craſſa, quæ reſidet in fundo, de nouo cõmiſcetur cũ vrina: iſta vero vrina craſſa duplici ratione citius, aut longiori tẽpore redditur tenuis, et clara, primo ratione qualitatis humorũ, ſi enim humor ille crudus, mixtus cũ vrina fuerit valde craſſus, et viſcidus, tũc adeo adhæret ipſi vrinæ, et non niſi cum maxima difficultate, et longiori tempore ſeparetur ab vrina, et deſcendat ad imum vaſis, ideo non ita cito talis vrina redditur clara: ſicuti citius redderetur, ſi illi humores non eſſent adeo viſcidi, et craſſi: Secundo hoc fit ex admixtione illorum humorum cum vrina, quæ permixtio fieri poteſt a calore naturali, vbi talis vrina craſſa ſit critica, vt diximus ſupra: vel à calore non naturali, vbi ſit ſymptomatica, et mala: vbi ergo iſti humores craſſi, exacte, et perfecte mixti ſint cum tota vrina, ſecundum omnes ſuas partes, vt minimum vnius tangat minimum alterius,

tunc talis vrina diutius permanet craſſa, & turbulenta, quia non ita cito ſeparantur, ſed ſi permixtio non ſit exacta, citius redditur clara.

Hic tamen notandum eſt, quod ſi vrina per tres, aut quatuor dies turbida mingatur, et poſtea appareat clara, hoc eſt optimum ſignum, ſignificat enim dominium naturalis caloris, et naturam ſuperare morbum, et peccantes humores per concoctionem reduci ad benignũ, ideo vrina mingitur clara: huius turbidæ vrinæ meminit Hipo. dũ ſic dicit. 4. aph. 70.

Quibus per febres vrinæ turbatæ, quales Iumentorum, ijs dolor capitis, vel adeſt, vel aderit: rationem huius reddit Gal. in com. quoniam tales vrinæ fiunt, craſſam, ac denſam materiam agitante, et verſante calore, atque in ea ſubigenda occupato, nam hæ materiæ ab externo etiã calore flatuoſum ſpiritum concipere, et edere videntur, ſicuti bitumen, Pix, et Reſina: talis ergo vrina turbata ſignificat capitis dolorem adeſſe, vel futurum eſſe, quia cum calore, flatuoſus ſpiritus in caput facile fertur, non tamen in omni dolore capitis apparent vrinæ turbidæ, cum dolor ille fieri poſſit ab alijs cauſis, hæc Gal. et ſi dicatis vos ergo vrina

turbida, ſit à flatu ob maximam agitationẽ, quod eſt contra meam ſententiam: Reſpondeo quod hic Hipo. per vrinam turbidam intelligit vrinam craſſam, quæ turbida eſt primo modo, vt quæ mingitur turbida, per admixtionem humoris crudi, et craſſi, non autem intelligit turbidam, ſecundo, & tertio modo, quia iſtæ non ſunt turbidæ à flatu, nec per agitationem, ſed per extinctionem caloris, eo modo quo diximuu ſupra.

2.1.doct.3 cap. 3. Addit Auic. quod iſta vrina turbida ſimilis vrinis iumentorum, Quinque ſignificat primo corruptionem humorum, ſecundo et frequentius ſignificat Phlegma crudum, in quod calor operatus eſt, ebulire faciẽs ipſum cum groſſa ventoſitate, & ampullis, tertio dolorem capitis inde venturum, ex vaporibus groſſis, et ventoſitatibus eleuatis ad caput, ab ebullitione Phlegmatis, ex opere caloris, quarto ſignificat diſtillationem Phlegmatis à capite, ad arteriam vocalem, quinto ſi perſeueret talis vrina, ſignificat Lithargiam: et ſi dicatis vos, ergo ſecundum tuã poſitionem, vrina turbida nunquam erit critica. Reſpondeo quod vrina turbida ſecundo, et tertio modo, ideſt quæ mingitur turbida, et remanet turbida, aut quæ mingitur

clara

clara, et paulo poſt fit turbida, nunquam po
teſt eſſe critica, nec fieri à natura bene ope-
rante, cum ſignificat extinctionem caloris,
et reſolutionem ſpirituum, ſed vrina turbi-
da primo modo, quæ mingitur turbida, &
paulo poſt fit clara, cum talis ſit per admix-
tionem humoris crudi, et craſſi, poteſt eſſe
critica, et fieri à natura bene operante, in-
declinatione morbi, materia exiſtente opti-
me concocta.

De Differentijs, Cauſis, & Iudicijs vrinarū, ſecundum temperamenta ætates, ſexus, & in vtero gerentibus. Cap. VIII.

QVoniam multæ, ac variæ ſunt differen-
tiæ ipſius vrinæ, ſecundum diuerſitatē
Complexionū, Aetatum, et Sexuum, ideo de
hÿs omnibus nobis agendum eſt, et primo
de ÿs, quæ deſumūtur à tēperamento, quare
pro maiori intelligentia: Notandum eſt pri
mo, quod illi qui tēperamēto calidi ſunt, ha-
bent Vrinas coloratiores, et ratio huius eſt,
quoniam à maiori calore, generatur maior
copia ſanguinis, à quo vrina redditur ma-
gis colorata, et hac ratione factū eſt, vt quo
calidi-

caliditas magis augetur, hinc et vrina min-
gitur magis colorata: quantum vero immi-
nuitur calor, et intenditur frigiditas, tan-
to etiam magis vrinæ redduntur magis Al-
bæ, et minus coloratæ, eo quia ab imbecillo
calore, et diminuta concoctione, generatur
modica copia bilis, et ſànguis ſeroſus, a quo
vrina parum redditur colorata, ſicuti etiam
in ſubſtantia tenues ſunt; quia à debili ca-
lore, parum immutatur vrina: ex hijs faci-
le eſt reſpondere ad quæſitum, quod ſangui-
nei cum ſint temperati, habent optimam v-
rinam, in colore ſubflauam, in ſubſtantia
mediocrem, et Hypoſtaſim Albam, læuem,
et æqualem, quoniam naturalis calor in il-
lis ſe habet ſecundum naturam.

Bilioſi vero, cum in illis calor excedat,
ideo et vrina magis colorata, et ignea ap-
paret, in ſubſtantia tenuis: ſedimentum
exiguum, & ſubtilliſſimum inſtar Nebulæ.

Pituitoſi cum frigidi ſint, habent vri-
nam albam, acquoſam, et tenuiſſimam,
quod ſi crudi ſucci qui ſolent generari à de-
biti calore, miſceantur cum vrina, tunc min-
gitur craſſa, et cum multo ſedimento, et e-
tiam ſpumoſa.

Melancolici, eadem ratione habent v-
rinam

rinam eodem modo Albam, ſed in ſubſtantia craſſiorem: niſi melancolia fuerit aduſta, quia tunc vrina erit colorata, et mali coloris, vt liuida, vel nigra, & c. Sed etiam ſecundum Aetates variantur vrinæ, eo quia vrinæ infantium, vergunt ad Albedinem, id eſt ad colorem lactis, et hoc fit duplici de cauſa, primo ratione nutrimenti, nempe lactis, ſecundo propter magnam, et excedentem humiditatem ſuarum complexionum, hæbetantem naturalem calorem, et prohibentem, ne forti tinctura reddatur Vrina colorata: nota tamen quod Auicenna 2. 1. doctrina 3. capitulo primo, dicit, quod ſignificatio vrinæ puerorum, maxime infantium eſt parua, et iudicium quod ſumitur ab ea eſt incertum, duplici ratione primo, quia nutriuntur lacte, quare trahunt ad Albedinem, vnde ſi medicus ex Albedine vrinæ, indicet indigeſtionem, et frigiditatem complexionis infantium errat, ſecundo quia bilis, aut ſanguis, qua tingitur, et coloratur vrina in pueris, quieſcit, et ſubmerſa eſt, ac remiſsa à nimia humiditate illorum, tertio quia debilitas naturæ infantium, & ſomnus longus, deſtruunt in eis

ſigna

ſigna digeſtionis, ex debilitate enim ſuarum partium, non poſſunt bene moueri, vnde ab ocio generantur multa excrementa, et calor non poteſt vigorari, et operari.

Iſaac part. 5. lib. de vrinis. auic. 2.1. doct. 3. c. 9

Puerorum, vrinæ in ſubſtantia ſunt craſſiores quam vrinæ Iuuenũ: et ratio eſt, quoniam cum vrina miſcentur humores craſſi, et crudi, qui generantur in pueris, ex nimia copia, et multitudine ciborum, cum commedant plus iuſto, et ideo in pueris, reperitur maxima copia cruditatum, ſecundo in quantitate, vrina in pueris eſt in maiori copia quam in iuuenibus, eadem ratione: tertio in colore non ſunt ita coloratæ, ſed magis vergunt ad albedinem, eo quia cum pueri excedant in humiditate, & ratione cruditatum, ſanguis illorum ſit valde acquoſus, et ſeroſus, non eſt igitur mirum ſi à tali ſanguine vrina reddatur parum colorata, et eo magis, quia à nimia humiditate puerorum, hebetatur eorum calor extenſiue, id eſt in operando, et ſic generatur ſanguis, et bilis acquoſa, et parum colorata.

2. prog. 33

Quod autẽ in pueris vrina ſit craſſa, docet Hipo. dũ dicit in pueris Vrina Aquoſa deterrima eſt, et ratio eſt, vt ibi docet Gal. quia in pueris vrina ſua natura eſt craſſa,

pueri

pueri enim omnia celerrime cõcoquunt, nõ ſolũ vrinas, ſed alui excremẽta incraſſant.

Iuuenum vero vrinæ in ſubſtantia ſunt mediocres, et in colore magis coloratæ, et ratio eſt, quoniam cum Iuuenes ſint ſicciores, quam pueri, et ſiccitas ſit lima caloris, hinc etiam factum eſt, vt calor iuuenum extenſiue, maior ſit, et fortior, id eſt magis actiuus, et ideo fortius operatur, quare à calore magis actiuo generatur maior copia bilis, et ſanguinis, et ſanguis erit magis perfectus, et à fortiori calore magis coloratus, quare et vrina mixta in venis cum tali ſanguine, et à fortiori calore alterata, quid mirum ſi apparet magis colorata, et aurea, et quaſi ignea, vt dicit Auic. quia ergo iuuenes plus participant de ſanguine calido, quã cæteræ ætates, ita quoque iuuenibus vrinæ ſunt magis coloratæ, quã in alijs ætatibus, et ſi Gal. quandoque dicat vrinam iuuenum tenuem eſſe in ſubſtantia, dicatis quod non intelligit vt abſolute ſit tenuis, vt perperam quidam crediderunt: ſed comparatiue, in comparatione ad vrinas puerorum, vt patet ex verbis Galeni.

loco citato.

2. progn. com. 34.

Vrinæ Senum in colore vergunt ad Albedinem, in ſubſtantia ſunt tenues: hoc autẽ

in illis ſit duplici ratione, primo quoniam cũ in eis debilis ſit calor, et à debili calore diminuta fiat cõcoctio in diminuta cõcoctione, aquoſus generetur ſanguis, ita quoq; et vrina mixta cũ tali ſanguine, erit parũ colorata, et cũ à debili calore parũ ſit alterata, ideo in ſubſtãtia erit tenuis: ꝙ ſi quãdoq; vrina in ſenibus craſſa excernatur, dicatis hoc fieri per admixtionẽ crudorũ humorũ, cũ enim in ſenibus imperfecta fiat concoctio, ideo in eis quã plurimæ generãtur ſuperfluitates, et humores crudi, craſſi, et viſcidi, qui mixti cum vrina, reddunt illam craßam, quandoque etiam multam, et cum copioſo ſedimento craßo in fundo matulæ.

Auic. 2. 1. doct. 3. cap. 10. Gal. lib. de Vrinis cap. 38.

Sed etiam ſecundum diuerſitatum Sexuum, diuerſæ, ac variæ minguntur vrinæ: Mulierum vrinæ in ſubſtantia ſunt magis craſſæ, in colore magis Albæ, et minus Coloratæ, quam vrina virorum: ratio huius eſt, primo quoniam cum viri calidiores ſint, et ſicciores fæminis, ideo in eis reperitur maior copia ſanguinis optimi, ita et vrina in viris erit magis colorata: in Mulieribus vero propter frigiditatem ſuæ complexionis, et debilem calorem, et diminutam concoctionem, Vrinæ ſunt minus coloratæ, cũ in eis generetur

retur ſanguis magis acquoſus, et à debili calore vrina ſit minus alterata: hinc etiam factum eſt, vt in ſubſtãtia ſint craſsiores, quia à diminuta concoctione generantur in Mulieribus quam plurimæ ſuperfluitates, et crudi humores, qui vbi ſimul cum vrina deferantur reddunt illam craſſam, et vt ſit minoris pulchritudinis, id eſt minus ſplendida, et lucida quàm vrinæ virorum, et quandoque apparent cum multo ſedimento craſſo, cum Mulieres ſint valde excrementoſæ: quod ſi aliqui dicant vrinas Mulierum, ob diminutam concoctionem in ſubſtantia eſſe tenues: dicatis hoc per ſe eſſe verum, ſed per accidens, ob multitudinem excrementorũ, & crudorum humorũ reddi craſsiores. Iſaac part. 5. de vrinis Actuarius lib 2. de cauſ. c. 7.

Sed an vrina in Mulieribus Vtero gerentibus, diuerſæ ſint, ac variæ, ab vrinis Mulierum non prægnantium, eſt grauiſsima difficultas: cum quam plurimi crediderunt, nullam eſſe diuerſitatem, & ex vrina impoſsibile eſſe cognoſcere Mulierem prægnantem: Sed Auicenna oſtendit vrinas prægnantium diuerſas eſſe à non prægnãtibus, primo in ſubſtantia, eo quia vrinæ prægnantium ſunt clariores, & tenuiores: Sed contrarium dicit paulo ſupra, dum dicit 2. 1. doct. 3. cap. 10.

quod

cap. 3. quod ſunt turbulentæ ſimiles vino corrupto, ſecundo dicit quod in earum ſuperficie apparet nebula, tertio in colore eſt ſimilis aquæ decoctionis pedum animalium, ſcilicet ad colorem citrinum, adeo vt ſecundum ſententiam Auic. vrinæ prægnantium, ſunt magis coloratæ, quam non prægnantium: hoc autem arguit maiorem caliditatem illarũ partium: ratio vero cur partes, in quibus continetur vrina ſint magis calidæ in prægnantibus, eſt ratione fœtus, et ideo quarto loco talis vrina in colore eſt irina, id eſt ſimilis viridi, ſeu arcui cæleſti, qui triplicem, et varium habet colorem: quinto apparent in vrina prægnantium ſedimenta ſimilia goſſipio carminato, ſeu veluti lana carpinata, ſexto, et vltimo corpuſcula quædam valde minuta, veluti grana, per vrinam prægnãtis aſcendentia, et deſcendentia.

Quibus vero ſignis cognoſcamus nos, an Mulieres vtero gerant primis, vel vltimis menſibus, docet Auic. dum ſic dicit: quod quando color uiridis in vrina apparet valde ſenſibilis, et manifeſtus, tunc illa mulier eſt in principio ſuæ impregnationis, ſed vbi vrina in colore ſit rubea, ſignificat mulierem vtero gerentem, eſſe in vltimis menſibus, &

eo loco cap. 10.

bus, & propinquam partui, præcipue ſi turbantur cum mouentur: Sed vrinæ parturiẽtium magna ex parte in colore ſunt nigræ, et in ea apparet veluti Atramentum, & ſordicies, hæc Auic.

Iſta tamen ſententia Auic. eſt valde voluntaria, nec apparet vera in prægnantibus ipſis, quando quam plurimas vidimus prægnantes, cum optima, et ſana vrina, ſine dictis ſignis: quare cogor damnare illorum Medicorum, ne dicam Empiricorum ignauiam atque imperitiam, qui ex vrina fatentur ſe cognoſcere prægnantes Mulieres, cum tamen hoc ſit impoſſibile, et ſi quandoque in prægnantibus vrinæ appareant diuerſæ, ac variæ, ab vrinis ſanorum, dicatis hoc fieri vitio alimentorum, eo quia prægnantes Mulieres, magna ex parte veſcuntur malis cibis, & mala victus ratione, quorum ratione factum eſt, vt aliquando, quam plurimæ generentur cruditates, quæ mixtæ cum vrina reddunt vrinam craſſiorem, turbulentam, et cum ſedimento craſſo, præſertim cũ degant vitam ocioſam, et ſuprimantur menſes, hoc tamen non eſt perpetuo verum, quoniam multæ prægnantes, quæ vtuntur optima victus ratione, et in eis optima fiat con-

coctio, unde pauca generantur excrementa, et urina mingitur optima, quare nullum erit certum ſignum, quo certe poſſimus cognoſcere, et præſagire ex urina, mulierem eſſe prægnantem: et eo magis hoc idem confirmatur, quoniam ſi ex urina impoſſibile eſt cognoſcere primo, et per ſe niſi diſpoſitionem venarum, aut illarum partium, per quas educitur urina, ut diximus ſupra, cum fœtus lib. 1. c. 1. *ergo in prægnantibus non contineatur in venis, nec in renibus, aut in uretere, vel in veſica, ergo ex urina non poſſumus cognoſcere mulierem eſſe prægnantem: quod ſi in prægnantibus urinæ appareant craſſæ, turbulentæ, in colore albæ, cum multo ſedimento, hoc non arguit adeſſe fœtum, ſed ſolum eſt ſignum cruditatis, et diminutæ concoctionis; cum talis ergo urina, ſæpe ſæpius appareat in non prægnantibus, non erit igitur ſignum mulieris prægnantis, ut perperam creditur.*

De Differentijs, Cauſis, & Iudicijs vrinarum in febribus. Cap. VIIII.

C*Vm urina ſimul cum ſanguine, & humoribus mixta ſit in venis, hinc etiã*

factũ eſt, vt indicet, atque demonſtret diſpoſitionem venarũ, et humorum exiſtentium in venis, et cum febres præſertim putridæ ortũ ducant ex humorum putrefactione, vel vt nos dicebamus ex eorumdem tantum ſuper ex calcfactione, ideo et vrina cõſideranda eſt in febribus, tanquam ſignum demonſtratiuum, quæ primo, et per ſe nobis oſtendit, naturam, et eſſentiam ipſarum febrium, ſecundo tempora vniuerſalia illarum, et cum febres aliæ accẽdantur in ſpiritibus, vt ephemera: Quædam in humoribus, vt ſunt febres, quæ communiter putridæ dicuntur, vel tertio in partibus ſolidis, vt Hectica: ita quoque ex vrina facile nos cognoſcimus (vt fatetur cõmunis opinio) an febris ſit Diaria, Putrida, vel Hectica, ſicuti etiam ex eadem vrina cognoſcimus, tempora vniuerſalia ipſarum febrium: & cum iſta Tempora vniuerſalia in febribus continuis ſint quinque, vt principiũ, tempus inæqualitatis, Augmentum, ſtatus, & declinatio: ita quoque in febribus intermittentibus reperitur, & ſextum tempus infebricitationis, & eſt totum illud tempus, quo æger eſt ſine febre, quouſque reuertatur altera acceſſio: ex Vrina igitur cognoſcere poſſumus, an

febris ſit in principio, vel in augmento, aut in ſtatu vniuerſali, vel indeclinatione, &c. hoc autem quomodo cognoſcatur: Reſpondet communis opinio cognoſci per ſigna concoctionis, et cruditatis: toto enim tempore quo in Socrate febricitante, nulla apparet concoctio, ita vt vrina in ſubſtantia, colore, et Hypoſtaſi, apparet cruda, dicimus eſſe principiũ vniuerſale illius febris, ſicuti quãdo incipit apparere ſenſibiliter aliquod veſtigium, et principium concoctionis, eſt augmentum illius febris: ſed ſi in vrina appareant ſigna manifeſtæ concoctionis, febris erit in ſtatu vniuerſali, quod ſi vrina in ſubſtantia, et colore optime fuerit concocta, et appareat Hypoſtaſis alba, læuis, & æqualis, dicimus febrem illam eſſe in declinatione, et morbum neceſſario futurum eſſe ſalubrem, niſi magnus committatur error.

Communis tamen iſta opinio, grauiſſimas patitur difficultates, eo quia docet experientia, et ſæpiſſime vrinam videmus tenuẽ in ſubſtantia, et in colore albam ſine Hypoſtaſi manifeſta, quare ſumpta indicatione à tali vrina, febris adhuc eſt in principio vniuerſali, quod tamen eſt falſum, eo quia ſanatur Socrates, cum tali vrina, et cum mor

bus

ubus non poſſit ſanari niſi indeclinatione vniuerſali, tali, ergo ex vrina non cognoſcimus tempora morborum: eteo magis confirmatur, quia quandoque in febribus, vrina mingitur optima, et perfectiſſima, quare ſunta indicatione à tali vrina, febris erit in vltima parte ſtatus, aut indeclinatione, quod tamen eſt falſum, quia vt certo cognoſcimus ex ſeuitia ſimptomatum, et magnitudine morbi, febris eſt in augmento, et non indeclinatione: ergo ex vrina nõ cognoſcimus tẽpora uniuerſalia morborum: augetur ſecundo difficultas, quoniam cum optima, et perfectiſſima vrina moritur æger quãdoque, ergo optima, et perfectiſſima vrina, non ſignificat morbum fuiſſe ſuperatum à natura, cum natura ſuperetur à morbo: cogimur igitur fateri, nos non poſſe tuto ex vrina, præſagire, et cognoſcere tempora vniuerſalia morborum, cum res ipſa in Praxi ſecus contingat, quam doceat communis opinio: Sed quomodo in febribus, variæ, ac diuerſæ appareant vrinæ nunc erit declarandum.

In febre Ephemera, mingitur vrina valde ſimilis vrinæ ſanorum, vel valde parum alterata in colore, vt docet Gal, et ratio huius eſt, 1. ad glau. cap. 2. 1 diff. febr. cap. 8.

 ius eſt,

ius eſt, quoniam cum vrina mixta ſit cum ſanguine, et humoribus in venis, ideo tantum eſt ſignum diſpoſitionis venarum, & humorum, qui ſunt in venis, quare dum alterantur humores, neceſſario etiam alteratur, et immutatur vrina, ſed cum febris Ephemera non ſit paſſio humorum, ſed ſolum ſpirituum, cum ſit caliditas accenſa in ſpiritibus, quæ accendi ſolet ab ira, labore, triſtitia, vigilia, inedia, & c. ſimilia, quæ apta ſunt accendere ſpiritus, hinc etiam factum eſt, vt vrina, aut nullam patiatur alterationem, vel quod parum mutetur ab vrina ſana, & iſta mutatio fiat ſolum in colore, eo quia augeatur calor vrinæ, & mingatur colorata plus iuſto, et ratio huius eſt, quoniam cum in febre Ephemera, calor auctus ſit plus debito, non eſt ergo mirum ſi ab aucto, et intẽſiori calore, vrina reddatur magis colorata, color enim facile alteratur, & immutatur: licet Gal. dicat in febre Ephemera, quæ ortum ducat à bubone, vrinam mingi albam, quæ nam ſit ratio huius diuerſitatis, difficile eſt animaduertere, nec laudo illorum expoſitionem, qui dicunt hoc fieri, eo quia bilis à qua vrina redditur colorata, à natura tranſmitti ad bubonem, tanquam ad partẽ dolen-

1. ad glau. cap. 3.

*dolētē, et inflāmatā, ideo vrina mingitur ſi-
ne colore, ſed cū pauca copia bilis, et ſangui-
nis tranſmittatur ad bubonē, et maxima por
tio remaneat in venis, ideo non eſt creden-
dum vrinā has ratione reddi albam, et qua-
ſi ſine colore, cū tāta copia ſanguinis, et bilis
adhuc ſit in venis, vt videatur apta poſſe red
dere coloratam maximam copiam Vrinæ.*

*Sed in febribus putridis, vrina qualis ex-
cernatur, docet Gal. quod in febre Ephemera* 1. diff. feb. cap. 8. & 9
*prima die vrina apparet cōcocta, et ſimilis v
rinæ ſanorū, ſed in febribus putridis maxi-
me propriū inditiū, eſt febriū ex humoribus
cōſiſtētiū, in prīcipio vrinæ cruditas, atq; ob
ſcura cōcoctio: vbi ergo in Socrate febricitā
te, appareat primo die vrina optima, et ſa-
na, dicatis febrē eſſe Ephemerā, ſed ſi minga
tur vrina cruda, credendū eſt febrē eſſe pu-
tridam, vt enim docet Gal. primæ vrinæ, in* cap. 9.
*tali febriū genere, vel penitus crudæ, vel ob-
ſcuræ concoctæ exiſtunt, magnum enim atq;
inſigne iudicium concoctionis, in primis v-
rinis nūquam exiſtit, per huiuſmodi febres,
niſi à Diarijs in has tranſeatur: hac Gal.*

*Sed rurſus dicetis vos, cum febres humo-
rales ſint in multiplici differentia viden-
dum igitur eſt, quæ nam Vrinæ mingan-*

1. ad glau. c. de quotidiana.

tur in Quotidiana, quales in Tertiana, in quartana, et in ſinocho: in Quotidiana vrina qualis ſit, hijs verbis docet Gal. Quotidianis vrinæ, vel tenues ſunt, et albæ, vel craſſæ, et turbidæ, et rubeæ.

Vrinæ enim in principio vniuerſali ipſius febris, albæ ſunt tenues, et aquoſæ, ratione obſtructionis: cum iſta febris ortum ducat, ab humore pituitoſo, craſſo, viſcido, ideo à craſsitie illius humoris, viæ per quas educitur vrina, obſtruūtur, quare quod craſsius eſt, cum non poſsit per vrinas euacuari, id ſolū quod aquoſum eſt, et valde tenue pertranſit, et hac ratione primis diebus in febre quotidiana vrina mingitur tenuis, et parum colorata, ſicuti etiam ob admixtionem ipſius pituitæ, remittitur color ipſius vrinæ, ſed in augmēto vniuerſali ipſius febris quotidianæ, dū humor pituitoſus cōcoquitur à natura, et extenuatur, tūc partes illæ liberātur ab obſtructionibus, craſſorumq; humorū portiones aliquæ ſimul cum vrinis excernūtur, et ideo tunc temporis minguntur vrinæ craſſæ, et turbidæ: quandoque etiam in ſtatu excernuntur rubeæ, quando ſcilicet craſſa pituita per aduſtionem putreſcat, quod enim aduritur rubeum fit: dicatis etiam quod in

Quo-

Quotidiana vrinæ excernũtur in maxima copia, eo modo quo nos diximus ſupra: ſimiliter, et ſpumoſa apparet, eo quia ex crudis ſuccis à debili calore generantur flatus, qui pariunt ſpumam: tertio in tali vrina apparet copioſum, et multum ſedimentum craſſum, quod eſt portio crudorum humorum, à quibus oritur quotidiana, ſic docet Gal. & alibi dicit in quotidiana vrina in ipſis primis diebus tales ſunt, quales quartanis incipientibus adſunt. lib. 1. de quãtitate vrinæ. 2. progn. cum. 26. 2. de criſ. cap. 5.

In tertiana, vt docet Gal. Vrinæ ſunt in colore flauæ, vel ſubruffæ: hoc autem pendet ab adurenti, et excedenti caliditate, et ex abundantia ſanguinis biliosi calidiſſimi, in ſubſtantia talis vrina erit tenuis, et Hypoſtaſis quæ ſubſidet in vrina erit in colore flaua, vt fatetur idem Gal. hæc autem vera ſunt, in tertiana exquiſita, et primis diebus, materia exiſtente cruda, quia quo magis cõcoquitur, eo magis in ſubſtantia craßeſcit, et remittitur in colore. 1. ad glau. 2. progn. com. 26.

Sed ſi tertiana notha fuerit ex permixtione bilis, et pituitæ, tunc vrina non erit adeo colorata, et in ſubſtantia ratione pituitæ, & crudorum humorum, erit aliquantulum craßa.

2. de criſ. cap. 4. *In Quartana vero vrina mingitur, vt dicit Gal. Alba, Tenuis, & Aquea: hoc autem fit eadem ratione obſtructionis, ſicuti in quotidiana, ſic idem docet Gal. dum dicit interdum vrina tenuis, et alba ſignificat obſtructionē epatis, vt in ÿs qui laborant quartana, groſsicie enim ſua melancolici humores obſtruentes vias, ſolent huiuſmodi vrinas efficere, ſed alibi dicit Gal. in Quartanis, vrinæ variæ ſunt, ſed crudæ omnes ratio vero huius eſt, quare ſcilicet vrinæ in quartana ſint adeo variæ, vt quandoq; ſubrufæ aliquando albæ, mingantur, licet ſemper tenues ſint & crudæ, et ratio eſt, quoniā cū quartana à diuerſis fiat humoribus, nēpe vel à ſanguine fæculento, et melancolico, vel à bile aduſta, ideo et vrinæ variæ ſunt.*

lib. de vrinis, cap. 5.

1. ad glau.

10. meth. med. c. 5. & 6. c.c. *In ſinocha febre, vtq; ortū ducit à ſanguine putreſcente in venis, vrina mingitur rubea, eo quia ſanguis per putrefactionē, ab excedēti calore aduritur, et per aduſtionē craſſeſcit, et redditur valde rubeus, ideo et vrina mingitur rubea, et craſſa, ſicuti in ſinocho ſine putredine, vrina ſimilis eſt vrinæ Ephemeræ, eo quia non eſt adeo rubea, nec craſſa ut in ſinocho putrido.*

9. med. c. 4 Paulus lib. 2. c. 27. *In febre Ardēti, ſeu cauſonide, vrina appareſt*

paret rubea, et ſubtilis: rubea ob maximũ exceſsũ caloris: ſi enim vrina redditur colorata à calore, ergo ab intẽſiori calore, magis redditur colorata, et cũ in febre Ardenti, calor ſit intenſiſsimus, non erit igitur mirum ſi vrina mingatur valde rubea, et colorata. lib. 2. c. 5

In Hethica vero vrina qualis mingatur, declarauimus nos ſupra, dum erat ſermo de vrina pingui.

De facultatibus, & vſu ipſius vrinæ. Cap. X.

P*Ertractauimus hactenus, de differentijs, cauſis, & iudicijs vrinarum, ſed vt iſta materia de vrinis, omni numero ſit cõpleta, et abſoluta, adhuc duo de vrina veniunt conſideranda, primo cuius nam facultatis ſit vrina: ſecundo de vſu ipſius vrinæ in medendis humani corporis affectibus.*

Quoad primum quæſitum Reſpõdet Gal. quod omnes vrinæ, facultate ſunt calidæ, ſed plus tamen animalium calidorum, minus autem frigidorum, licet enim vrina generetur ex bibito humore excalefacto ſimul in corpore, & biloſæ non nihil ſubſtantiæ adepto, tamẽ vrinæ differunt inter ſe pro lib. 10. de ſimp. med. facult. cap. de ſudore.

diuer-

diuerſitate temperamenti, ætatis, et ambientis nos aeris temperie: addatis etiam vos, et pro diuerſa victus ratione: vrina tamen hominis (de qua nos hic loquimur) omniũ prope aliorum animalium eſt imbecillima, habet tamen facultatem, et vim abſtergendi, quod probat Gal. exemplo fullonum, qui ſordida veſtium, cum vrina expurgant, atque abſtergunt.

Sed quibus affectibus apta ſit mederi, nũc nobis eſt declarandum, vt deueniamus ad ſecundum quæſitum, ad hoc autem Reſpondeo, quod vrina ſe habet, veluti medicamentum, aut ſumpta in potu, vel extrinſecus adhibita: primo modo in potu ſumpta, quibus morbis conueniat, docet Dioſcorides, dum

lib. 2. c. 74

ſic dicit: humanam vrinam ſuam cuique bibere contra viperæ morſus, ac venena incipientemque aquam inter cutem proderit, ſcorpionis, viperæ marinorum draconiſque morſus ea conuenientiſſime fouentur: Pueri impubis epota vrina, orthopnoicis auxiliatur: Sed Gal. deridet iſtud medicamentum, dum ſic dicit, nam vrinas illas deguſtare plane eſt abominandũ, cum ne pueri quidem vrinam, vir quidem honeſtus vita pariter, ac moribus, ebibere ſuſtinuerit, cum

10. ſimpl. medi fac. c. de vrina.

peſtifere

peſtifere ægrotaret in Syria, vbi cum multi vrinam puerorum ſimul, et virorum hauſiſſent, ſe ſe hinc ſanatos credebant; et infra ſic dicit, at vrinam pueri Orthopnee gratia ebibere, neceſſarium non eſt, cum ſint et alia medicamenta, quæ huic medeantur affectui: quin cum bibiſſet quidam, affectu liberatus non eſt, ut non eximium quid præter alia poſſideat: hec Gal. licet Auic laudet potum vrinæ in orthopnea, et eius potu multos fuiſſe ſanatos. 2. lib. ca. non cap. proprio.

Sed Extrinſicus adhibita, multis affectibus opitulatur Vrina: ut enim docet Dioſcorides, Pruritus, et lepras nitro addito, expurgat, ſed etiam vetus vlcera capitis manantia, furfures, pſoras, et feruidas eruptiones, multo magis abſtergit: nomas, & præcipue genitalium coibet: auribus infuſa manans pus ſupprimit, decoctaque in calice mali punici earum vermiculos abigit: Decocta in æreo vaſe cum melle, emendat cicatrices, argema, caligineſque, quod in vrina ſubſidet illitu ignem ſacrũ mitigat, ferue factum cum Cyprino inditumq; vuluæ dolores mulcet, ſtrangulatus læuat, genas deterget, oculorum cicatrices expurgat: hæc Dioſcorides: Sed clarius hoc idem docet lib. 2. c. 74.

Gal.

lib. 10. m p. med facult. c. de vrina.

Gal. dum dicit Vrinæ vim abſtergendi cum medici conſpexiſſent Pſoras, et læpras, ea detergunt, perfunduntque vlcera, tum multa humiditate, tum ſordibus, & impuritate ſcatentia, ac multo magis vbi putridum quiddam obtinent: ſed et pudendis, vbi ſic affiſciuntur vrinam infundunt, et auribus pure fluentibus: quin et Achoras, et furfures, ea curant, capiti identidem infundentes: at nos hæc facere odimus potius, cum ad manū ſint quæ illis conducunt alia medicamina, at vlcera digitorum pedis, maximeque ex illiſione, atque offenſione eſſent inflicta, ſepenumero, vbi nimirum phlegmone carerent, vrina curaui, in ſeruis: et hominibus ruſticis, quos iter ingredi abſque medicis erat neceſſe, nam et ſi alium ruri ſine medico agentem, vrinam vlceribus perfundentem audiſſem, non vetui, vbi ſcilicet in partibus thorace inferioribus, vſque ad imos pedes vlcus conſtitiſſet, ſiquidem vlcera, aut capitis, aut faciei, vrina perfundi ſinere auerſabar: hæc Galenus.

Quę à Medico obſeruanda ſint, in inſpectione vrinę. Cap. XI.

T*Ria ſunt, quæ debet medicus conſiderare, et obſeruare in inſpectione vrina,*

næ, ad hoc, vt tuto, et libere poſſit præſagire: primũ ex parte vaſis, ſecundum ex parte ipſius medici, tertium ratione ipſius vrinę.

Quoad primum vas illud in quo recipi debet vrina, multas requirit conditiones, vt vrina recipiatur in vaſe cõuenienti, et opportuno: prima, vt ſit vitreum, ſecunda vt non ſit ex omni uitro, ſed lucido, et ſubtili ſine vllo colore, quia ſi fuerit craſſum, et nigrum, vel alterius coloris, aut ſordidum, et non valde bene ablutum, non tuto poterit medicus ex tali Vrina exiſtente in tali uaſe præſagire, et co-gnoſcere, ea quæ debet: tertio ut uas in quo recipi debet Vrina, ſit figuræ oblongæ, et rotundæ in fundo, ad ueſicæ formam ſine angulis, aut aliqua in æqualitate in fundo, ne Vrina, et Hypoſtaſis à tali in æqualitate diuellatur, ſicuti ſunt uaſa illa, quibus communiter utimur, quare in alÿs uaſis Vrina non poteſt bene, et commode conſiderari à medico.

Auic. 2. 1. doct. 3. c. 1 Actuarius lib. 1. c. 1.

Ex parte uero ipſius medici multa ſunt à medico obſeruanda, primo ut Vrinam in die, et non in nocte inſpiciat, ne decipiatur lumine lucernæ, ſed inſpicienda eſt in loco claro, et luminoſo: cauendum tamen eſt ne radius ſolis ſuper eam

Actuarius lib. 1. de iudicijs vrin. cap. 2. Auic. 2. 1. doct. 3. cap. 1.

eam cadat, immo ab ipſo tegatur, quia in apparentia diuerſificat colorem, et ſubſtantiā, & viſum diſpergit: ſecundo cum Hypoſtaſis ſit læuis, & quandoque diuulſa, vt vix appareat, ideo ſemper pannum in parte inferiori ipſius vaſis ab extra ponendum erit, vt actio viſus ibi terminetur, & poſſit optime cognoſcere ea, quæ reſident in vrina.

Auic. 2. 1. doct. 3. c. 1. Sed reſpectu ipſius vrinæ, quam plurima debent obſeruari, primo vt vrina, quæ conſiderari debet à Medico, non ſit nocturna, id eſt facta in nocte, ſed colligatur prima vrina, quæ mingitur ſummo mane, et ratio eſt, quia tunc temporis completa eſt, et perfecta tota digeſtio, ideo et vrina eſt melius alterata, et concocta, quam quo vis alio tempore, & hac ratione certius iudicat ſuper diſpoſitionibus corporis quam ſi alio tempore fuerit collecta: quod ſi Iſaac contrarium dicat, quod ſcilicet vrina noctis certioris eſt ſignificationis quam diei, cum melior fiat concoctio in nocte, quam in die: dicatis ad iſtam difficultatem nullam eſſe cōtradictionem, quoniam Iſaac non laudat vrinam nocte emiſſam, ſed nocte genitam, & mane emiſſam, completo ſomno, & concoctione. Hic tamen notandum eſt, quod licet vrina

lib. de vrinis, part. 5.

quæ mingitur ſummo mane, melior ſit, & ex tali vrina poſſit medicus certius præſagire, quam ex vrina alio tempore collecta, nõ tamen negat Auic. inſpiciendas eſſe à medico, & nocturnas, & diurnas vrinas, vt poſſit cognoſcere an vlla fiat diuerſitas in vrina, in ſubſtantia: colore, & Hypoſtaſi.

Secundo debet medicus conſiderare, ne vrinam inſpiciat illius, qui præterito die ieiunauerit, eo quia ex tali vrina nihil tuto poterit præſagire, cum talis vrina ex inedia valde redditur colorata, ſicuti nec vrina debet eſſe illius, qui comedit, aut bibit rem tingentem vrinam, ſicuti ſi quis ſumpſerit crocum, reubarbarum, aut aliud medicamentum, aut olera, & c. ſimilia, quæ apta ſunt immutare naturalem colorem ipſius vrinæ, ex tali vrina nihil poteſt medicus cognoſcere: ſimiliter nec ſit vrina illius, qui ſe exercuit motibus, aut operationibus, quæ vrinæ colorem mutant: vt exercitium, labor, vigiliæ, aut ira, vel timor, medicus enim in ÿs ex vrina nihil tuto poterit præſagire.

Tertia conditio, quod vrina poſt ſpatiũ vnius horæ, postquam fuerit micta, non debet amplius à medico conſiderari, vt dicit Auic. & ratio eſt, quoniam ab aere ambien loco citato.

P te al-

te alteratur vrina, et mutatur non ſolum in colore, ſed etiam in ſubſtantia, et Hypoſtaſi: notandum eſt tamen, quod nec etiam ſtatim quod micta eſt, inſpicienda eſt à medico, eo quia Hypoſtaſis, et contenta in vrinā, adhuc non reſident in fundò, et non apparent, ideo vrina aliquātulum debet quieſcere antequam inſpiciatur à medico, ſed non tamen longo tempore, quoniam dicit Iſaac oportet vt vrina videatur cum exeat à veſica, antequam ab aere corrumpatur: & ſi dicatis mingitur quandoque turbida, et ſtatim clareſcit, et e contra, ergo ſtatim quod micta eſt vrina videnda erit à medico,: Reſpondeo quod voluit Auic. horam potiſſimam inſpiciendi vrinam, eſſe poſtquam fecerit reſidentiam, non tamen intēdit proibere inſpectionem eius pluribus vicibus, vt per hoc ſciatur, quæ perſeuerat, et quæ trāſmutatur cito, vel tarde in ſubſtātia, vel claritate, et an vrina mīgatur cū ſpuma nec ne.

lib. de vrinis part. 5.

Quarta vt vrina tota colligatur integre, in magno vrinali, ſic quod nulla eius portio effundatur: et ideo dicit Iſaac, colligi inquā debet vrina tota ſemel, et in vno vaſe, ita vt quæ vnica vice mingitur, colligatur in vno vaſe, et nō in multis: et ratio eſt, quoniā

Auic.

loco citato.

melius

melius tota, quam pars poterit actionẽ natu ræ ſignificare, quod ſi æger ſæpius mĩgat, tũc recipi debet in diuerſis vaſis, et nõ in vno.

Quinta obſeruandum eſt, vt nec ſol, nec ventus, tangat vrinam, ne perturbetur, aut congeletur: ventus enim ſua frigiditate vrinam perturbat, cum enim partes ipſius vrinæ, à naturali calore ſint vnitæ, ideo à frigiditate ambientis, et à vento diſſoluũtur, & ſic vrina redditur turbida, vt patet in hieme, quod vrina à nimio frigore ſtatim quod micta eſt, turbatur, et igni appoſita redditur clara: Sol vero alterat vrinam, ſubtiliando eius ſubſtantiam, ſua caliditate, ſicuti et ignis: quare hic vnũ debetis obſeruare, quod vrina nõ debet conſeruari adeo iuxta ignẽ, vt ab igne poſſit alterari, eo quia aliquando vrina mingitur turbulenta, et flatuoſa, & ſpumoſa, quæ vbi exponatur igni, adeo incaleſcit, vt flatus illi reſoluantur, et ſic vrina cum non amplius remaneat in eſſe ſuo, decipitur, poſtea medicus circa eius iudicium, & ſignificationẽ, quare vbi vrina fiat turbida, et iuxta ignem poſita reddatur clara, dico ꝙ medicus ex tali vrina cũ alterata, et mutata ſit ab igne, nihil tuto poteſt præſagire.

Auic. Actuarius lib. 1. de indicijs vrinarum. c. 2

Sexta vt vrina poſtquam fuerit emicta,

quieſcat in proprio vaſe, et non moueatur, eo quia exagitatione, et motu non ſolum alteratur, et corrumpitur quandoque, ſed etiã Hypoſtaſis diuellitur, et redditur diſunita, neceſſe eſt etiam, vt vas in quo conſeruatur vrina, cooperiatur, vt non ſolum conſeruetur ab aere ne alteretur, et reſoluatur paucus ille calor, qui reperitur in vrina, ſed etiã ne aliquod excrementum, aut terra, vel puluis, ingrediatur vas, et miſceatur cum vrina, et alteret, et immutet, vnde medicus nõ poſſit tuto præſagire, et cognoſcere ex tali vrina, ea quæ debent cognoſci: neque etiam de vaſe mutetur in vas, ne forte aer, immutando eam corrumpat, et ne etiam à tali agitatione ſpuma, ſi fuerit in vrina diſſoluatur, vnde poſtea medicus non poſſit tuto præſagire.

Quibus ſignis, vrina diſtinguatur à cæteris liquoribus, & an cognoſci poſſit à Medico, ne decipiatur. Cap. XII.

2. 1. doct. 3 cap. 1. & 12.

Docet Auic. cognoſcere, ac diſtinguere vrinam ab alijs liquoribus, ſibi ſimilibus, vt à liſciuio, hydromelle, decoctione

ficuum,

ſicuum, & c. eo quia vrina quanto magis viſui aproximatur, tanto ſpiſsior apparet, et quo magis diſtat, apparet magis clara, et tenuior, ſed cæteri liquores contrario modo ſe habent, quo enim propinquiores ſunt viſui, eo magis clariores, et tenuiores apparẽt, ſicuti quo magis diſtant à viſu, craſsiores videntur, hoc autem verum eſt, ſeruata debita diſtantia.

Secundo debet medicus vrinam adeo ſibi appropinquaſſe, vt etiam eius odorem ſentire poſsit, ex odore enim, facile poterit medicus diſtinguere vrinam, à cæteris liquoribus.

Sed vrinam hominis ægrotantis, poſſe cognoſcere, ac diſtinguere ab vrina aliorum animalium, dico quod eſt impoſsibile, et quã facile decipitur medicus, ſicuti etiam deciperetur Hipo. et Gal. quare derideo medicos illos, ne dicam imperitos qui profitentur ſe hoc facile poſſe cognoſcere, ex ſola inſpectione vrinæ, cum tamen hoc ſit impoſsibile, eo quia in multis morbis mingitur vrina, qualis eſt iumentorum, ac diuerſorum animalium vrina, vt docent Hipo. Gal. & Auic. quingentis in locis.

An in febribus, conſideranda ſit Vrina à medico.

Cap. XIII.

GRauiſsima oritur difficultas, an poſsit medicus ex vrina, in ipſis febribus, aliquid tuto præſagire, ita vt in febribus conſideranda, et inſpicienda ſit vrina, veluti ſignum Demonſtratiuum, et certum.

Ratio dubitandi eſt, quoniam Quatuor neceſſario, et principaliter cõſideranda ſunt, in ſingulis febribus, ab ipſo medico: Primo eſſentiam, & quidditatem ipſius febris, an ſcilicet ſit Ephemera, Putrida, aut Ethica: Et ſi fuerit Putrida, an Quotidiana, Tertiana, Quartana, aut Sinocha: & rurſus an continua, vel intermittens: Secũdo ſalutem, aut mortem, id eſt an illa febris ſit ſalubris, vel læthalis: Tertio longitudinem, et breuitatem, ſcilicet an futura ſit longa, vel breuis: Quarto magnitudinem.

Quæritur igitur, ſi vrina in febribus, inſpicienda eſt veluti ſignum Demonſtratiuum, an ex vrina poſsibile erit cognoſcere iſta quatuor.

Dubi-

*Dubitatur de primo, quoniam impoſsibi-
le eſt ex ſola vrina cognoſcere genus febris, nec aliquis eſt, qui audeat, ex ſola inſpectione vrinæ, iudicare febrem eſſe tertianã, exquiſitam, vel notham, ſinochon, aut quotidianam: et eo magis, cum vrina pro vt cõmuniter creditur, ſoleat variari, et immutari, pro diuerſitate Temperamenti, ætatis, regionum, ſexus, et victus: et hac ratione factum eſt, vt non in omni tertiana, ſit eadem vrina, nec in omni quotidiana, eadem ſemper mingatur vrina: quare cum vrina nõ ſemper ſit eadem in omni Tertiana, nec in omni Quotidiana, et c. vt docet experiẽtia, non igitur tuto poterimus ex vrina, cognoſcere eſſentiam, et ſpetiem morbi: et eo magis cum ſæpiſsime contingat, vt in diuerſis febricitantibus eadem febre, Tertiana, aut Quartana, &c. non eadem mingatur vrina, ſed diuerſæ, ac variæ vrinæ, cuius quidem rei argumentum eſt, non dari Vrinam propriã ipſius Tertianæ, quæ conueniat ſoli Tertianæ, & non alteri febri, et ab ea ſit inſeparabilis: ergo vrina non erit Accidens proprium, & inſeparabile ipſarum febrium, cum eadem vrina mingatur in diuerſis generibus febrium: quare co-*

gimur aſſerere, vrinam eſſe accidens commune, et non proprium ipſius febris, et ideo nihil tuto, et certe, poterimus cognoſcere ex vrina circa naturam, et eſſentiam febrium: eo quia accidentia, quæ ducunt nos in cognitionem ſubſtantiæ, et quod quid eſt, ipſarum rerum, ſunt accidentia propria inſeparabilia, et non communia: quod autem vrina, non ſit Accidens proprium, et inſeparabile ipſarum febrium patet, quia non conuenit omni, ſoli, et ſemper, cum eadem vrina ſæpe ſepius conueniat, et appareat in Tertiana, Quotidiana & c. et in vna, et eadem febre, in diuerſis febricitantibus, diuerſæ, ac variæ mingantur vrinæ, pro diuerſitate temperamenti, ætatis, ſexus, & victus.

1. aph. 12 1. de criſ c. 3. & 5. 5. de locis aff. cap. 2. Dicendum eſt igitur, ſpeciem, et eſſentiã morborum, non cognoſci, niſi ex ſignis patognomonicis, quæ ſunt propria, et inſeparabilia accidentia, quæ ſequuntur morbum, vt vmbra corpus: Signa vero aſidentia, 1. aph. com. 7. et mox apparentia hoc non faciunt, vt alibi declarauimus: cum ergo vrina non ſit ſignũ patognomonicum, ſed commune in febribus, non poterit illarum naturam demonſtrare.

Quoad ſecundum, videtur quod ex vrina impoſſibile ſit cognoſcere, morbum eſſe

ſalu-

ſalubrem, vel læthalem: et ratiò dubitandi eſt, quoniam magna ex parte, in morituris mingitur vrina optima, et perfectiſſima in ſubſtãtia, colore, et Hypoſtaſi, qualis mingi ſolet in homine optime ſano, quare indicatione ſumpta à tali vrina, mòrbus erit ſalubris, et tamen ſequenti die cum tali vrina moritur æger: ſimiliter, et quandoque, immo ſæpe contingit, vt in morbo ſalubri, mingatur peſſima vrina, vt tenuis, vel turbida in ſubſtãtia, in colore ſubiugalis, liuida, aut nigra, ſine vlla Hypoſtaſi, quæ quidem vrina ſecundum communem opinionem eſt læthalis, et ſignificat futuram, et propinquã mortem, et tamen æger ille cum tali vrina ſanatur, et ſequenti die eſt ſine febre, vt quotidie millies obſeruamus omnes: ergo ex tali vrina, non poſſumus tuto præſagire ſalutem, aut mortem: quare ſic formanda erit ratio dubitandi: Vrina quæ dicitur læthalis, et ſecundum communem opinionem ſignificat futuram, et imminentem mortem, non eſt accidens proprium, et inſeparabile febris læthalis, et peſtilentis, vel mali moris, ſed potius eſt accidens, et ſignum commune, ergo non poterit ſignificare ſalutem, aut mortem, et morbum eſſe mali moris,

aut

aut ſalubrem: conſequentia eſt de ſe nota, quia hoc ſolum oſtendunt, et ſignificant ſigna, et accidentia propria, inſeparabilia, & non ea quæ ſunt communia, vt diximus ſupra: Antecedens probatur, quia ſi talis vrina eßet propria febrium mali moris: ergo in omni febre mali moris, & læthali ſemper mingeretur talis vrina (ſi eßet eius accidens, & ſignum proprium, et inſeparabile,) et talis vrina non appareret niſi in illis febribus, et in morituris, ſed hoc non eſt verum, cum magna ex parte in morituris, mingantur vrinæ optimæ, et perfectiſſimæ, et ec ontra quando quæ in febre ſalubri educitur vrina mala, quæ dicitur læthalis, immo, et ſæpiſſime videmus in homine ſano peſſimã vrinam, vt ſubiugalem, nigram, crudã, et tamen non eſt læthalis, nec ſignificat futuram, et imminentem mortem, cum ſit ſanus, et ſine febre, et actiones ſenſibiliter, et manifeſte non ſunt læſæ: ergo ex tali vrina non poſſumus tuto, et certe præſagire ſalutem aut mortẽ, cum appareat, et in morbo ſalubri, et læthali, in ſano, & ægro.

Quoad tertium: Dubitatur etiam, an vrina poſsit nobis demonſtrare, an febris futura ſit longa, vel breuis: cõmuniter dicitur hoc

hoc poſſe ſignificare, per ſigna concoctionis, & cruditatis, pro vt ſigna concoctionis, & et cruditatis nobis oſtendunt Tempora morborum vniuerſalia, eo modo quo nos ſupra declarauimus: ſed falſum eſt, ex vrina poſſe nos cognoſcere, Tempora morborum, cum quandoque in principio vniuerſali ipſius febris ſæpe mingatur vrina perfectiſſima, & optime concocta, & quandoque indeclinatione, quando ſanatur æger multoties vrina cruda mingitur, ergo ex vrina non cognoſcimus Tempora vniuerſalia morborum, vt fuſius ibi explicauimus: et eo magis, quia ſæpiſſime videmus in febre longa, et valde diuturna, vrinam concoctam, & perfectiſſimã, et tamen morbus perſeurat, et illa febris cum tali optima vrina perſeuerat valde lõga, & diuturna: ſi ergo diceretis vos, per ſigna concoctionis, et cruditatis in vrina, non poſſumus nos cognoſcere, illius febris longitudinẽ, aut breuitatem, et quibus ſignis poterimus nos cognoſcere morbũ eſſe in principio, vel in augmento vniuerſali, aut in declinatione? Respondet Hipo. hoc facile cognoſci ex magnitudine, et ſæuitia ſimptomatũ: quia in prĩcipio, et indeclinatione vniuerſali ipſorũ morborũ omnia accidentia ſunt

lib 1. c. 3. 4. & 6.

lib. 1. c. 6. lib. 2. c. 9

2. aph. 30.

mitiora,

mitiora, & remiſſa: vbi vero augentur ſimptomata. et ſeuiora fiunt accidentia tunc cognoſcimus morbum augeri, et conſiſtere, quando vehementiſſima fuerint, ſic docet
1. aph. 7. Hipo. vbi morbus per acutus èſt ſtatim extremos habet labores: exponit Gal. quia ſtatim morbus ille extremus, eſt in ſummo vigore, et in ſtatu vniuerſali, quo tempore accidentia maiora, et ſeuiora ſunt: ſic enim
8. meth. med. c. 3 docet Gal. Cum in acumine morbus fuerit, ſtatim tum vltimos labores infert.

Quoad quartum, certum eſt ex vrina, impoſſibile eſſe cognoſcere, febris magnitudinem, quia quod febris ſit magna, aut parua cognoſcimus ex magnitudine ſimptomatum, et ex calore, qui vbi magnus ſentiatur in vniuerſo corpore, dicimus febrem eſſe magnam: ſed quod vrina ſit valde cruda, aut mala, non oſtendit morbi magnitudinem, ſed potius, vt communiter creditur, ſignificat longitudinem, aut breuitatem, & febrem illam eſſe boni, vel mali moris.

Si ergo vrina, non eſt accidens propriũ et inſeparabile, ſed valde commune, et improprium ipſarum febrium, et ideo non poſſit nobis demõſtrare eſſentiam ipſius febris, nec an ſit ſalubris, vel lethalis, aut futura

ſit

ſit longa, vel breuis, magna, aut parua: quid igitur poterimus ex ipſa vrina præſagire in febricitantibus ipſis: et qua ratione credendum erit, eſſe ſignum Demonſtratiuum? Et ſi vrina non oſtendit, nec demonſtrat cruditatem, aut coctionem humorum peccantium in venis, vt alibi declarauimus, cum quandoque immo ſæpiſſime in principio vniuerſali ipſarum febrium, mingitur perfectiſſima vrina, et optime concocta, et tamen peccantes humores ſunt crudi: & e contra ſanatur quandoque Socrates febricitans, cum vrina cruda, et tamen humores ſunt concocti cum ſanatur æger: ad quid igitur inſpicienda erit vrina à Medico, in febribus ipſis? Et ſi magna ex parte, et vt plurimum fallitur, et decipitur medicus ab vrina, quomodo fidendum erit vrinis? Et ſi ex vrina, nihil tuto poteſt medicus præſagire in febribus, cum iudicium deſumptum ab vrina ſit adeo fallax, vt frequentiſſime decipiatur, et res ſecus contingat, quam prædixerit medicus, non ſine rubore, et quandoque cum infamia, et deriſu aſtantium: quare ergo communiter dicitur ſignum proprium, et adeo proprium, et inſeparabile, vt quam plurimi medici, ne dicam

lib. 1. c. 6

cam

Vrina præter iſta duo genera morborum, in alijs non eſt conſideranda, primo, & per ſe, ſed per accidens. cart. 15.
Vrina iu prædictis morbis, eſt ſignum Demonſtratiuum. Cap. 2. cart. 17.
Signa Demonſtratiua tria ſunt, vt Actio lęſa, Qualitas mutata, Exiens mutatum. cart. 18.
Quid ſit Actio læſa, Qualitas mutata, & Exiens mutatum. cart. 18.
Vrina poteſt dici Exiens mutatum, qua litas mutata, & Actio læſa. cart. 19.
In ſingulis morbis conſideranda ſunt à medico, natura, pars affecta, magnitudo, mos, & Tempora morborũ. cart. 20.
Omnia iſta cognoſcuntur ex ſignis Demonſtratiuis, & quid ſint. car. 21.
Vrina in ipſis morbis, illa omnia quinque Demõſtrat, & quomodo c. 3. cart. 22
Vrina principaliter ſignificat, ſalutem, aut mortem, longitudinem, & breui tatem morbi. cart. 25.
Hoc autem demonſtrat vrina per ſigna concoctionis, & cruditatis. cart. 25.
De differentijs, cauſis, & iudicijs Vrinarum ſecundũ ſubſtantiam cap. 4. cart 25.
Signa coctionis, & cruditatis cognoſcũtur ex Vrina quinq; modis. cart. 25.
Pro ut quinque conſideranda ſunt in vrina, vt ſubſtantia, color, odor, quãtitas, & Hypoſtaſis. cart. 25.

Vrina ratione ſubſtantię aut eſt Tenuiſ vel craſſa, aut mediocris cart. 26.
Vrina Duplici de cauſa dicitur Tenuiſ primo a diminuta concoctione cart. 26.
Vrina quomodo dicatur concocta, & per concoctionem incraſceſcat cart. 27.
Vrina Tenuis ſignificat, cruditatem humorũ, & diminutã concoctionẽ car. 28. 30.
Diminuta concoctio fit a, debil calore cat. 28.
Calor naturalis fit debilis a frigido, & a, calore non naturali cart. 28.
Vrina Tenuis quomodo demonſtrat, lõgitudinem, aut breuitatem, ſalutem aut mortem cart. 30. 35.
Cum Tenui vrina ſemper, conſiderandę ſunt vires cart. 31.
Vrina cruda duplici ratione ſignificat, longitudinem, & breuitatem morbi, ſalutem aut mortem cart. 31.
Primo ratione humoris peccantis, ſecũdo ratione virtutis cart. 32.
Humores peccant in quanto, aut in qualitate.
Humores peccantes in maſsima copia, ſi fuerint crudi, ſignificant morbum longum cart. 32
Sed ſi peccent in pauca quantitate, oſtendunt morbum futurũeſſe breuem car. 32.
Vrina acquoſa in pueris cur ſit læthalis ca. 33
Vrina Tenuis in phrenitide cur mala car. 34.
Vrina Tenuis, quandoque mingitur ra-

tione obſtructionis. Car. 34
Vrina tenuiſsima cur ſit in Nephritide. car. 34
Vrina craſſa, redditur ab humore crudo, & craſſo. car. 35
Vrina craſſa ſignificat cruditatem & diminutam concoctionem. car. 35
Vrina redditur craſſa, a pituita vel a Melancolia & quomodo cognoſcatur. car. 35
Vrina craſſa quandoque eſt critica aliquando ſymptomatica, & quomodo cognoſcatur. car. 36
Vrina non fit craſſa ab omni pituita ſed à ſola non naturali & in multa copia. car. 38
Vrina craſſa ſecũdum Gal. eſt turbulenta. car. 40
Vrina Mediocris qualis ſit, & quomodo generetur, & quid ſignificet. car. 41
Vrina tenuis Deterior eſt quam craſſa. car. 42
De colore ipſius vrinæ, quæ nam ſit cauſa vt vrina ſit colorata cap. 5. car. 42
Vrina per ſe ſumpta nullum habet colorem. car. 43
Sed ex permixtione alicuius ſubſtantiæ redditur colorata. car. 43
Vrina ſecũdum communem opinionem à ſola bile redditur colorata. car. 44
Vrina optima, in colore eſt ſubflaua & pale-

paleraris, & quare. car. 45.46

Vrina non redditur colorata à bile vt perperam omnes crediderunt cap. 6. car. 46.57

Vrina ſi à bile eſſet colorata, non eſſet primo, & per ſe ſignum ſecundæ concoctionis, & ſanguificationis. car. 47

Vrina ab humore prædominante in venis, redditur colorata. car. 49

Vrina, à ſanguine redditur colorata. car. 51

Optimus ſanguis in colore non eſt rubeus, ſed purpureus, & flauus. car. 51

Vina Rubea, craſsiora, & terreſtriora ſunt, quam flaua. car. 52

Optimus ſanguis cum in ſubſtantia ſit tenuiſsimus, in calore mitis & aereus, & valde ſpirituoſus ergo. in colore nõ eſt Rubeus. car. 53

Sanguis optimus in venis eſt purpureus, ſed extra venas fit rubeus. car. 54

Probatur tamen vrinam à ſanguine non reddi coloratam. car. 57

Vrina cur poſt copioſam cœnam mingatur alba, & cruda. car. 58

Vrina non poteſt reddi colorata ex permixtione alicuius humoris. car. 59

Vrina nõ oſtendit tempora morborum, nec coctionem aut cruditatem morbi. cari 60.63

Vrina redditur colorata a naturali calore, per ſimplicem alterationem car. 61.
Vrina quomodo per ſolam excalefactionem a naturali calore, diuerſos recipiat colores cart. 61.
Vrina cur quãdoq; in principio morbi appareat concocta & humores ſint crudi cart. 63.
Vrina in ventriculo, a naturali calore per ſimplicem alterationem redditur colorata car. 67.
Vrina ſignificat ſolam diſpoſitionem vẽtriculi, & an Alimenta in ventriculo optime ſint concocta cart. 67.
Vrina non oſtendit diſpoſitionem venarum, et humorũ cõcoctionem vt per peram omnes cart. 67.
De differentiis, cauſis, & iudiciis vrinarum ſecundum colorem, & primo de vrina Alba cap. VII. car. 68.
Vrina Alba eſt in multiplici differẽtia car. 68
Vrina quadruplici de cauſa fit alba car. 69
Primo a, diminuta concoctione & ſanguine ſeroſo, & ideo ſignificat diminutam coctionem, debilem calorem & crudum ſanguinem in venis car. 69.
Calor fit debilis aut per reſolutionem vel ſecũdo extinguitur animiacopia car. 70
Calor extinguitur per reſolutionem aut a, cauſa Externa, vel Interna, & quomodo cart. 71.

Vrina

Vrina quomodo reddatur alba ab inedia vigilia, & labore cart. 71

Vrina quomodo ſit Alba a, mala quali tate humorum cart. 71.

Vrina cur ſit Alba & cruda inprincipio morborum cart. 71.

Calor naturalis quomodo a nimiacopia fiat debilis cart. 72.

Vrina cur excernatur cruda, & alba poſt copioſam cœnam car. 72.

Vrina cur ſit cruda, & Alba in principio morborum pendentium a copia crudorum humorum car. 73.

Vrina mingitur cruda, & Alba ratione obſtructionis cart. 73.

Ex obſtructione Renum, vreterum & viarum per quas educitur vrina, mingitur Alba, & cruda cart. 74.

Vrina cur mingatur Alba & tenuis in Nephritide cart. 75.

Vrina etiam mingitur cruda, ob potus magnitudinem cart. 76.

Vrina, mingitur etiam alba ex admixtione Pituitę, puris, aut ſeminis, vel ex colliquatione partium car. 77

De differentiis, cauſis, & iudiciis vrinę coloratæ cap. VIII. cart. 78

Vrina colorata eſt in multiplici differentia cart. 78.

Vrina cum a, ſanguine ſit colorata, ita quoque ſecundum diuerſitatem ſan-

guinis, diuerſo modo redditur colorata. car. 79
Vrina optima eſt ſubflaua, & ſignificat, optimum calorem, perfectam concoctionem, & optimum ſanguinem. car. 80
Vrina flaua, crocea, Rubea, vinea paſſea, viridis, veneta, liuida, & nigra, quomodo fiant. car. 81
Vrinæ omnes prædicte ſignificant maſſimam ſanguinis ex calefactionem & aduſtionem, & naturalem calorem fieri igneum. car. 81
Vrina Rubea, non fit abile rubea nec à ſanguine ſeroſo, & diminute cocto vt communiter creditur. car. 82
Vrina Rubea fit ab adurenti calore, & ſanguine aduſto. car. 85
Vrina cruenta quomodo fiat. car. 82
Vrina Rubea cur appareat in Hydrope. car. 87
Vrina viridis quomodo fiat & quid ſignificat. car. 88
Vrina viridis eſt in multiplici differentia, quarum quædam fiunt ab excedenti calore, quædam à frigido. car. 88
Vrina nigra non fit à melancolia nec, abile, aut ſanguine aduſto vt communiter creditur. car. 89
Vrina nigra fit à ſanguine nigro. car. 90
Sanguis niger fit aut ab adurenti calore, vel extre-

extrema frigiditate. car. 91
Vrina nigra cur ſit læthalis & quid ſignificat. car. 92
Vrina liuida quomodo fiat, & quid ſignificet. car. 92
Vrina nigra à cauſa externa non eſt læthalis. car. 93
Vrina quomodo cognoſcatur, an ſit nigra per aduſtionem, vel à frigido. car. 94
Vrina nigra cur ſemper ſit craſſa. car. 95
Vrina nigra, quandoque optima eſt & criſica. car. 95
Vrina nigra in quibus morbis optima ſit. car. 96
Vrina nigra in morbis renum & veſicæ quando ſit mala. car. 97
De differentijs, cauſis, & iudicijs vrinarum ſecundum odorem. cap. 9. car. 97
Vrina ſecũdum ſui ſubſtantiam nullum habet odorem per ſe. car. 97
Vrina fit colorata per accidens, per admixtionem alicuius rei. car. 98
Vrina eſt odorata, à cauſa externa vel interna. car. 98
Cauſa externa eſt mala qualitas cibi & potus. car. 98
Vrina redditur fœtida à cauſa interna vt à pure, vel ſemine. car. 99

Vrina redditur etiam fetida ſimixta fuerit in venis cũ humoribus putridis car. 99.
Vrina fœtida, ſignificat internam putrefationem in illo corpore & extinctionem caloris cart. 100.
Putredo quomodo fiat cart. 100.
Vrina fœtida cur non excernatur in omnibus febribus putridis cart. 102.
Omnis febris putrida eſt peſtilens: cætere vero febres fiunt ſolũ ex ex calefactione humorum car. 102.
Vrina que non habet malũ odorem, ſignificat optimam coctionem car. 104.
Vrina ſine vllo odore, eſt ſignum cruditatis cart. 105
De differentiis, cauſis, & iudicijs vrinarum ſecundum quantitatem C.X. car. 105
Vrina mingitur multa a cauſa Externa a cibo & potu cart. 106.
Diuretica quomodo prouocent vrinã car. 106
Vrina redditur multa a, cauſa interna primo a copia crudorum humorũ car. 107
Vrina multa quandoque eſt critica quandoque ſimptomatica cart. 107
Vrina ſecundo fit multa ob caliditatem Renum & partium vrinalium car. 109.
Vrina tertio mingitur multa ob colliquationem totius corporis vt in Ethica &c. 4. fit. a ſiccitate ventris car. 109.
Vrina pauca, fit ab Obſtructione & quomodo car. 111.

Vrina retenta, a calculo, vel ab humoribus crudis qũo cognoſcatur car. 112.
Vrina etiam mingitur pauca ob exceſsũ caloris, vel alui profluuium car. 112.
Quarto ob debilitatem ex pultricis Renum, aut vaſorum vrinalium
Vrina quęguttatim, & inuoluntarie mingitur, cur ſignificet mentis alienationem car. 113.
Cur etiam ſignificat fluxum ſanguinis e, naribus car. 114

INDEX EORVM QVAE CONTINENTVR IN SECVNDO LIBRO.

EA quæ continentur in vrina ſunt aut naturalia, vel præter naturam. car. 116
Hypoſtaſis eſt excrementum craſſum tertię cō coctionis. car. 126
De ſubſtantia, ſitu, colore, odore & quantitate optimæ Hypoſtaſis cap. 2. car. 117
Hypoſtoſis quotuplex ſit, & cur quandoque appareat velut nubes in ſuperficie vrinę. car. 117
Hypoſtaſis iſta cur ſignificet diminutam concoctionem & debilem calorem. 118
Hypoſtaſis optima cur ſuſpēſa ſit in fundo matulæ, & ſit figurę Pyramidalis. 119
Hypoſtaſis optima eſt alba, lęuis & ęqualis. car. 120
Hypoſtaſis qua ratione ſit alba, læuis & æqualis. car. 120
Hypoſtaſis optima quid ſignificet. car. 125
Hypoſtaſis cur multa, vel pauca appareat. car. 125
Hypoſtaſis nigra, quomodo fiat, & quid ſignificet. car. 127
Hypoſtaſis rubea quomodo fiat & quid ſigni-

ſignificet & eius odore. car. 129
Hypoſtaſis an ĩ homine optime ſano fiat. 130
Hypoſtaſis cur non apparet in principio morborum. car. 130
De differentijs, cauſis, & iudicijs contentorum in vrina à toto genere præter naturam, & primo de differentijs in vniuerſali cap. 3. car. 131
De differentijs, cauſis, & Iudicijs ſpumę, circuli, & Ampullarum in vrina ca. 4. 134
Spuma ex qua materia generetur. car. 135
Spumę cauſa efficiens eſt motus, aut calor. car. 135
Spumæ cauſa formalis eſt dilatatio materię humidæ factæ, à flatu. car. 140
Spuma in vrina quomodo fiat & quid ſignificat. car. 141. 152
Quomodo ſignificat corpor s colliquationem & in æqualem perturbationem. car. 144
Spuma in vrina quomodo ſignificat conuulſionem. car. 145
Spuma in vrina an ſignificet capitis dolorem. car. 146
Spuma in vrina quomodo ſignificat nephritidem. car. 148
In ſpuma conſiderandũ eſt tẽpus quantitas, qualitas & locus & quid ſignificent. car. 150
Spuma in vrina; an generetur intus vel ab extra dum mingitur. car. 151

De differentijs, cauſis, & iudicijs vrinæ pinguis Cap. V. car. 155.
Pinguis vrina fit ex colliquatione pinguedinis, carnis, & partium ſolidarum car. 156.
Hæc autem colliquatio fit ab adurenti calore car. 158.
Pinguis vrina quomodo cognoſcatur an ſit a, Renibus, vel alijs partib⁹ car. 159. 165
Pinguis vrina quid ſignificat car. 161.
Pinguis vrina qũo fiat inhethicis car. 164.
Pinguis vrina põt eſſe critica, & bona car. 164.
De differentijs, cauſis & iudicijs contentorum præter naturam in fundo vrinæ Cap. VI. car. 165
Orobeum ſedimentum, lamineum, furfureum, & ſimilaceũ quid ſint car. 166
Talia ſædimẽta quomodo fiant ab igneo & adurenti calore car. 168.
Furfureum & lamineum ſedimentum poteſt fieri vitio veſicæ, aut uitio totius corporis & quomodo cognoſcitur car. 173.
Similaceum ſedimentum quomodo fiat & quid ſignificat car. 176.
Carũculę in vrina quomodo fiant quid ſint, & quid ſignificent car. 179.
Pili qui reſident in vrina, quid ſint quomodo generentur, et quid medicus poſſit præſagire car. 182.
De Arenulis apparentibus in vrina qui

aut

aut ſunt albę, vel rubee car. 185.
Quomodo generentur in Renibus vel in veſica, & quid ſignificent car. 185.
De differentiis, cauſis, & iudiciis vrinæ Turbidæ Cap. VII. car. 187.
Turbida vrina eſt in triplici differentia & quomodo fiat Turbida car. 187
Comunis opinio de Turbida vrina refel litur: & ponitur opinio Auic. car. 190.
Propria opinio de Turbida vrina car. 193.
Vrina Turbida cur mingatur ſolum in febre peſtilenti, & mali moris car. 194
Vrina Turbida, & quæ perſeueret quid ſignificat car. 196.
Vrina ſi mingatur clara, & poſtea fiat turbida, aut mingatur Turbida & clareſcat quid ſignificat car. 197
De differentijs, cauſis, & iudicijs vrinarum, ſecundum Temperamenta, ætates, ſexum, & vtero gerētes C. VIII. car. 201
Sanguinei, biliosi, pituitoſi, melancolici quales vrinas habeant car. 202.
Vrinæ infantium cur ſint Albæ car. 203.
Vrinæ puerorum, cur craſſe, multæ, & Albæ car. 204.
Vrinæ iuuenū mediocres, coloratæ & optimę car. 205
Vrinę ſenum, albæ Tenues, & quandoque craſſæ car. 205.
Vrinæ mulierum, craſſæ, & albæ car. 206
Vrinæ prægnantium quales ſint car. 207

Mulie-

Mulieres prꝫgnantes non cognoſcuntur ex vrina. car. 209
De differentijs, cauſis, & iudicijs vrinarum in febribus cap. 9. car. 210
Vrina nobis oſtendit eſſentiam, & genus febris. car. 211
Vrina nobis oſtendit tempora vniuerſalia morborum. car. 211
Sed probatur, tempora morborum, non cognoſci ex vrina. car. 211
Vrina in Ephemera eſt ſimilis ſano: febris Ephemora, eſt caliditas accēſa in ſpiritibus. car. 214
Vrina in ephemera, quę oriatur, à bubone, cur ſit Alba. car. 214
Vrina in febribus putridis, qualis ſit. car. 215
Vrina ī febre quotidiana, cur ſitn tenues & albæ, aut craſſæ, turbidæ & Rubee: multæ: ſpumoſæ: & cum craſſo ſedimento. car. 216
Vrinę in tertiana exquiſita cur ſint tenues, & flauę. car. 217
Vrina in tertiana nota, eſt magis craſſa, & minus colorata. car. 217
Vrina in quartana, cur ſit tenuis, alba, & aquea: & varia. car. 218
Vrina in ſinocho, eſt rubea, & craſſa. car. 218
Vrina, in febre ardenti, eſt rubea, & ſubtilis. car. 219
Vrina in hethica, qualis ſit. car. 219

De facultatibus, & vſu ipſius vrinę c. 10. 219
Vrina omnis, calida eſt, & habet vim abſtergendi. car. 219
Vrina, tum in potu, tum extrinſicus adhibita, multis morbis medetur, vt veneno, aquę intercuti, orthopnoicis: leprę: pruritui, vlceribus. e. c. car. 220
Quę à medico obſeruanda ſint, in inſpectione vrinę cap. xj. car. 222
Vrina in quo vaſe ſit recipienda ne decipiat, medicum. car. 223
Vrina inſpicienda eſt in die, & nō in nocte, in loco claro, nō tamen in ſole, car 223
Vrina, inſpiciēda eſt, quę mingitur ſummo mane. car. 224
Quę vrina inſpicienda ſit à medico, & quanto tempore, poſt mictionem. car. 225
Vrina tota colligenda eſt, in vno vaſe. car. 226
Cauendum, ne vrina, à ſole, à vento vel ab igne alteratur. car. 227
Quibus ſignis, vrina diſtinguatur, à cęteris liquoribus, & an cognoſci poſſit à medico, ne decipiatur: cap. 12. car. 228
Vrina, quanto magis viſui approximatur tanto ſpiſſior apparet, & quo magis diſtat, apparet clara, & tenuis. car. 229
Vrinam ægrotãtis hominis, poſſe cognoſcere ac diſtinguere. ab vrina aliorum animalium, eſt impoſsibile. car. 229
An in Febribus, conſideranda ſit vrina, à medico cap. 13. car. 230
In ſin-

In ſingulis morbis, conſideranda ſunt ſpecies, magnitudo: longitudo: & an ſit ſalubris vel lætalis car. 230

Vrina neutrum iſtorum demonſtrat cum non ſit accidens proprium, ſed comune car. 231.

Vrina non demonſtrat, Tempora vniuerſalia morborum car. 235.

Tempora morborum, quomodo cognoſcantur car. 235.

Vrina in Febribus, aut nihil, aut valde parum poteſt ſignificare car. 237.

Vrina in quibus morbis, vt ſignũ demõſtratiuum, in ſpiciẽda ſit a medico car. 238.

FINIS TABVLAE.

carta	linea	*Errores*	*ſic corrigito.*
6	3	de ſis.	3. de criſ.
28	18	1.de criſib. cap.21.	1.de criſib. cap-12.
37	21	2. 1. doct. 3,cap.	2.1.doct.3.cap.6.
55	15	6.auho.57.	6.apho.
132	6	muiata	mutata
146	3	animi	à nimia
155	11	vrinæ	vrina
187	1	ſicqna	aliqua

REGISTRVM.

A B C D E F G H I K L M N O P Q

Omnia ſunt Folia

ROMAE, *Excudebant Alexander Gardanus, & Franciſcus Coattinus Socij. 1587.*